DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

CURA PER EXPECTATIONEM,

QUAM

DEO PROPITIO

ET

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO CAROLO,

PORUSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS PORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA,

Ad d. Maji. M DCC XIIX. horis ante & pomeridianis,

Publicæ ventilationi submittet

LUDOVICUS JULIUS JAQUEMIN,

BRUNSVICENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.



PRÆLOQUIUM.



Vam commendata vulgo inter homines ſit officioſitas, id multiplicia teſtimonia, in vita humana paſſim obvia, abundè comprobant; quam accepta vero hæc communiter ſit, ut propterea virtutibus annumerari mereatur, tam aliena, fruſtranea, imò interdùm plane pernicioſa eadem evadit, quando inopportune exercetur & rationes temporis, occaſionis, ordinis, ſubjecti, neceſſitatis, finis & ſucceſſus frivole præterit aut negligenter perpendit: quid imprimis in foro medico officioſitas hæc utilitatis & damni inferat, facilè demonſtrari poſſet, ſi hoc noſtrum propoſitum eſſet de hac re latius diſſerere, illud interim in rebus medicis, dextrè tractandis, verum & certum eſſe ſcimus, quod officioſitas illa verſetur tam circa commiſſionem quam omiſſionem, i. e. quod medicus cum multa utilitate officioſus eſſe poſſit, laborando, præcipitando abſtinendo, cunctando & expectando, modo ſingula fiant κατὰ τάξιν & prout circumſtantiæ & conditiones rerum poſtulant atque permittunt: imprimis vero ab-

undè jam & in vulgus notum est, quid tempestiva opitulatio proficiat ad intercipiendos, præoccupandos, evitandos & extingvendos morbos & quid contra officiat cunctatio & procrastinatio, quæ morbos imminentes expectat & non tollit, eorundem vires admittit & non præscindit, illorum effectus tolerat & non maturè coërcet: quare recte *Hippocrates in Epistola ad Cratevam* dicit: *ab omni arte aliena est procrastinatio & præcipue in medicina, in qua dilatatio animæ periculum affert, curationum animæ vero sunt temporum opportunitates, illarum vero cognitio artis finis:* cum quo dicterio apprimè convenit illud *Ouidianum: principiis obsta &c.* & quod *Seneca Lib. I. de ira cap. 7. & 8.* professus est: *facilius est excludere perniciosa, quam regere & non admittere quam admissa moderari, nam cum se in possessione posuerunt potentiora rectore fiunt, nec recidi se, minuive patiuntur: in primis finibus hostis arcendus est, nam cum intravit & portis se intulit, modum à captivis non accipit:* quo pertinet illud *Ciceronis: omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius* & quod *Plato* dixit: *Expectatio virtus, cunctatio vitium, matura & opportuna actio est virtutum magistra; hinc occasio medicamentis salutis & necis adferendæ, tribuit momentum* juxta *Plutarchum in Lucullo:* & quid pluribus testimoniis opus erit? ipsa res abundè attestatur, quod multi morbi in prima sua herba suffocari & extingvi queant: quemadmodum vero hæc officiositas medica in præoccupandis morbis operosa minime contemnenda est, tamen opportunitas agendi non minor est virtus in toto studio & stadio artis medicæ, quæ præprimis versatur circa justum selectum temporis, quando videlicet indoles morborum permittit, quo certæ operationes su-

ſuſcipiantur & adminiſtrentur: etenim non omnes morbi quando ſemel invaſerunt, mox in prima ſua aggreſſione ſupprimi & ſuperari, neque etiam quolibet indiſcreto auſu atque tempore ſubjugari & expugnari poſſunt, ſed omnino temporis habenda erit prudens ratio, ſiquidem tempori, etiam in hoc paſſu ſerviendum eſt, quare ἐυκαιρία aurea fuit veterum regula ad prudentem & ſalutarem artis adminiſtrationem deſtinata: & cum perſæpe artifici ejusmodi caſus contingant, in quibus tempeſtiva morborum præoccupatio locum haud amplius invenit, ita alia commoda artem comitari & conſolari ſolent, dum opportunitas agendi & prudens expectatio multum emolumenti ad diverſas difficultates ſubigendas efficaciſſimè & evidentiſſimè confert: ob id pro artis adjumento & ſubſidio eximiæ ejusmodi virtutes admodum inculcandæ & commendandæ ſunt, utpote quæ eò maximè inſerviunt, quo ſalus hominis promoveatur, ſiquidem *hominis ſalute peccare* juxta *Magnum Aurelium Caſſiodorum Lib. VI. variarum formarum 19. homicidii crimen eſt:* & dum medicis à Deo concredita eſt illa ſalus corporis humani, ita quam maxime intereſt, quo omne ſtudium & omnis occaſio adhibeatur eoque dirigatur, ut hæc ſalubritas auxiliis æque ac conſiliis ingenuis & probatis confirmetur, augeatur & reſtituatur, cui officio legitime exercendo præprimis inſervit tempeſtiva & opportuna medela ſive hæc poſitivè ſive privativè adminiſtretur, dū utilia adhibentur & inutilia removentur, imò dum illa tempora atque ordines expectantur, quando certa auxilia applicari debent, ne vel præmaturè vel præpoſterè negotia, hominis ſalubritati prævisa, gerantur, quo reſpe-

ctu etiam non omnis cunctatio mala & perniciosa est, sed sub congruo directorio æque ad salutares fines pertendit & pervenit ac solicita officiositas medica. Et dum salus corporis humani verus medici scopus est, ita eo major solicitudo adhibenda erit, ne contra eandem ullo modo artifex impingat atque peccet: imo sicuti multæ occasiones accidunt, quæ ad errores practicos seducunt, ita inter alios magno studio evitandus est metus & audacia, negligentia & præcipitantia, incongrua cunctatio & immatura officiositas: singula hæc vitia passim reprehendit *Hippocrates* & inter illa etiam *timiditatem* & *temeritatem* notanter in *Libro de Lege* carpit, sicut de reliquis vitiis, quæ praxin medicam premunt atque vero suo scopo & fine destituunt, modo dictum fuit: singula vero hæc in eo præcipuè conveniunt, dum artifex officio suo sine ullo congruo modo, ordine atque convenienti methodo fungitur & præcipuè contra rationem temporis impingit, dum vel præmature vel immaturè, vel præposterè negotia sua perpetrat & administrat: & sicut venerandus *senex Lib. de Locis in Hom. §. 54. Prædict. Lib. II. §. 29. Sect. I. aph. 1.* & passim alibi dicit, quod *occasio sit præceps*, tamen tempori serviendum est & omnia justo ordine tractanda sunt, ne observatio hæc de velocitate occasionis in speculationem degeneret & exinde aditus ad præcipitationem patefiat, quia occasio præceps datur: quanta enim damna fugitivæ illæ medicationes pariant, haud amplius laboriosa evolutione & demonstratione opus est, siquidem conservatio corporis humani tam in ordinario quam extraordinario statu certis ordinibus atque successibus nititur,

ne-

neque ita præcociter obtineri aut promoveri potest: & quid multum dicamus de eo, quod in officio medico multa & eximia commoda è prudenti & tempestiva actione redundent, cum viciſſim in ſolida & ingenua experientia abunde conſtet, quantæ utilitates per *abſtinentiam*, *expectationem*, rationabilem *cunctationem*, *omiſſionem* & *intermiſſionem* certorum artificiorum unquam recuperatæ fuerint: unde recte *Livius* dixit: *optimos imperatores & doctisſimos medicos ſæpe numero nihil agendo plus efficere: illos de hoſtibus, hos de morbis inſignes reportare victorias*: neque hoc loco quidem propoſitum noſtrum eſt, quo Therapiam illam privativam ſive curationem morborum per abſtinentiam latius commendemus, utpote quæ optima veterum fuit medicina; ubi non raro conſultius ad imitationem horum fuiſſet, in diuerſis morborum medicationibus nihil egiſſe, quam male egiſſe, aut juxta opiniones peruerſas egiſſe: ita multæ morborum corruptiones & transfigurationes evitatæ fuiſſent: ſed ne in aliud propoſitum tranſiliamus, cum minime hac occaſione conſtituerimus ſalutarem illam curam per abſtinentiam exponere, id paulo preſſius & propius advertimus, quod non raro in Medicina practica rationabili cunctatione, patientia & *expectatione* opus ſit: & hæ ſanè ſunt tales virtutes, quæ frequenter ad uſum practicum applicari poſſunt, videlicet Temperantia, Patientia, Expectatio, Cunctatio, Conſtantia & Abſtinentia, quæ præter reliquas magni momenti ſunt: de ſingulis in tanto compendio diſſerere velle, vix conſultum eſſet, cum quælibet harum virtutum peculiarem commendationem promereatur: nos hac vice

ce tantum expectationem medicam ſeligimus, quæ minimè cum negligentia & timiditate confundenda neque propterea explodenda, ſed ut virtus artis medicæ potius commendanda & illuſtranda erit: hæc enim perinde ad medicum officioſum, prudentem & conſcientioſum ſpectat, neque in otio hæret, ſed providè diſcernit & obſervat morborum initia, incrementa, tempora, & ſucceſſus, non minus de morborum indole accuratius judicat & quid, imo quando agendum & poſitivo auxilio ſuccurrendum ſit, providè attendit & ipſa temporaria omiſſione laborioſa & ſollicita eſt: ſed ne reſpectus inter ſe confundantur, minimè expediet omnes morbos expectando curare, ſed uti non quoslibet morbos in primis ſuis initiis ſuffocare occaſio datur, ita in defectu hujus adminiculi alia ſubſidia conferenda ſunt, ex quibus hæc commendata prudens cunctatio & expectatio non infimæ dignitatis exiſtit: & quemadmodum quilibet morbus ſuos ſucceſſus, nimirum ſua initia, incrementa, complementa & decrementa habet & unum alterum excipit, expectat atque ſequitur, ita interdum artifex tempora talia exquiſitè obſervare & ſecundum eorundem mutationem operari aut ſecundum horum temporum mutationem, opportunitatem agendi attendere & expectare debet: & ne adeo lata nobis hæc videatur acceptio, non raro illi caſus eædemque occaſiones in experientia medica occurrunt, ubi citra ullum concurſum artificialem ſpontaneas illas morborum admodum abſtruſorum expugnationes & curationes expectare convenit: unde certe prudens expectatio in omnibus operationibus eximias ſuas utilitates abunde comprobat

&

& quæ propterea pro principali ſubſidio agnoſcitur, per quod eo certius res arduæ & difficiles ad exoptatum finem diriguntur & promoventur: inde innotuit Germanorum dicterium: **man wolle seine Zeit schon ersehen und seinen Vortheil wohl beobachten, man werde sein Glück nicht versäumen oder verschlaffen**, unde etiam rerum per expectationem obtentarum poſſeſſio atque utilitas magis ingenua, firma, ſolida & celebris eſt, quam earundem rerum uſus, quæ per præcipitantiam, impatientiam & multum angorem comparatæ & impetratæ fuerant: interim prudens talis expectatio minime confundenda eſt cum aſtutia, vafritie, inſidiis & fraudulentia, neque etiam cum ſocordia, negligentia & animi averſione, licet cum ſingulis hisce vitiis non raro expectatio concurrat: quemadmodum vero ſincera expectatio ſeſe in omnibus actionibus commendat, ita nobiscum conſtituimus pro Themate Inaugurali hanc virtutem in foro medico illuſtrare, applicare & præſenti diſſertatione agere de *Expectatione Therapevtica*, ſive ut titulus magis uſu receptus eſt de CURA PER EXPECTATIONEM: quo vero hanc dignam atque ſolidam conſiderationem pro virium noſtrarum imbecillitate atque tenuitate quadantenus commendemus & veritati medicæ velificemur, rogamus ante omnia Deum benigniſſimum, quo in pertractanda hac materia nobis gratia ſua adſit, ut omnia feliciter cedant.

§. I.

§. I.



Um propositum nostrum est Expectationem Therapevticam sive Curam per Expectationem explicare & commendare, mox in primo ingressu & accessu in mentem nobis incidit *vulgaris* illa & *hodiernis* moribus magis accommodata *methodus medendi*, quæ admodum *impatiens*, *inquieta* & *præceps* passim observatur, qua morbi confestim obruuntur & non rarò cum *magna* remediorum turma atque diffusa *copia* profligantur, sub suffragio & authoritate moniti illius *Ovidiani*: *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*: & deterrere nos facile posset illa *præmatura officiositas* & operositas medica, dum interdum ne illa quidem patientia adhibetur, quo demum *vera* morbi *indoles* rectè innotescat, sed ad nauseam triviales illæ mulierculárum nugæ ogganniuntur, **man müsse der Kranckheit die Macht benehmen, man müsse der Hitze steuren und wehren**, cum non rarò *cæcæ* quædam curæ & solicitudines in hoc conamine obtingant: neque certè infrequens est ille eventus, quod præmaturo tali ausu morbi imminentes, quorum decursus placidus, tranquillus & *moderatus* fuisset, mox in primis suis *initiis* valde confundantur, *corrumpantur* & exacerbentur, ubi vicissim attento & prudenti animo conferri debuisset, alterum illud *Ovidianum*: *temporibus medicina valet, dato tempore prosunt*, quippe quæ *opportunitas* æquè prudentem *expectationem* ac *officiositatem* involvit: neque quidem ullo modo abrogamus & reprobamus maturam & providam morborum *præoccupationem*, quin potius hoc loco illud tantum inferimus, quod vicissim eximiæ utilitates per expectationem obtineantur: quam frivola enim sit illa *præmatura* morborum aggressio, multiplicia documenta comprobare possent: è multis vero placet morbum illum

lum ſeligere & producere, qui ferme in omni *natione*, omni *tempore*, *ætate*, *ſexu* &c. occurrit, videlicet *Febrem*, in cujus cura quot ac quanti *præmaturi* auſus ſæpe contingant, res ipſa loquitur, ita ut mox in *initiis* ſatis *operoſe* remedia *diaphoretica*, alexipharmaca, antidotalia, cardiaca, alexipharmaca, refrigerantia, æſtum cohibentia & ſimilia valde *promiſcuè* ſæpè ingerantur, adeoque in primis illis limitibus natura humana per tot *diverſa* ac *perverſa* medicamina magis, quam per reliquas circumſtantias & conditiones, ad efficaciam *cauſæ morbificæ* ſpectantes, *turbetur* & enervetur: quin potius *Hippocrates* paſſim hanc *expectationem* & *patientiam* medicam cum multa & ſolida emphaſi inculcat, quo inter alia pertinet *Sect. I. aph. 20*, *quæ judicantur & judicata ſunt perfectè*, *neque movere neque* νεωτεροποιέειν *nova facere*, (excitare, *exacerbare* quoad priſtinam ſuam valde perniciosam efficaciam *denuo* deteriorare) *neque medicamentis neque aliis irritamentis*, *ſed ſinere:* quot verba tot pondera: ſi tempus vacaret & propoſitum permitteret multa ſane circa hunc aureum aphoriſmum notanda eſſent, quæ ad præſentem tractationem ſpectant, ſed placet alium locum huic parallelum ad latus ponere: eſt *aphor. 22.* *cocta purgare & movere oportet*, *non cruda*, *neque in principiis*, *niſi turgeant: plurima vero non turgent:* quid igitur faciendum erit? *expecta pauliſper*, *Hippocrates* dicit, ἀλλ' ἐᾶν *ſed ſinere!* manum de tabula! *expectandum* enim eſt, donec *cocta* ſive præparata fuerit materia, tunc licet illam *movere* & *evacuare*, quod idem eſt ac vulgò dici ſolet: man ſoll erſt die rechte Zeit erwarten, aliàs fruſtraneum eſſet de morborum temporibus diſſerere velle, cum hæc diverſitas morborum quoad *incrementa* & *decrementa* multum rationali Therapiæ non modo in genere velificetur, ſed huic curæ rationabili per expectationem ſtabiliendæ & confirmandæ inſerviat.

§. II.

Sed dum *Curam per Expectationem* exponere cogitamus, mox *duplex* iterum *generalis* conſpectus & conceptus hujus thematis indicandus & prævio quodam labore ſignificandus eſt: etenim per *expectationem* curare & *ſalutares* effectus obtinere & promovere poteſt artifex, quando ſub bono moderamine atque *regimine*, imo *negativa* aut privativa magis *Therapia*, in morbo quodam, *legitime* decurrente, naturæ *avtocratiæ* invigilat atque attentè obſervat qua *activitate* & *ſinceritate* eadem effectus illos, pro *cauſa morbifica ſubjuganda* & *expugnanda* idoneos, proſequatur, videlicet, quo tenore cauſæ nocivæ *præparandæ* & per efficaces *ſe* - atque *excretiones* removendæ operam det; in quo paſſu medicus *expectatorem* & *ſpectatorem* agit, minimè vero otioſum & negligentem ſpeculatorem & obſervatorem, dum conſiderat *an* etiam natura *viribus* ſufficientibus inſtructa ſit quo actum talem *legitime* abſolvat; an etiam negotia ſua *methodicè* & legitimè tractet, ut minus conſultum eſſe videatur, quo *poſitivo* auxilio medicus ſubveniat; an in tali officio ab *erroneis* intentionibus & *contentionibus* libera ſit, ne à vero & *ſalutari* ſcopo deflectat; an circumſtantiæ quædam *intercurrere* & ſupervenire poſſint, quæ ſalutarem naturæ operationem ullo modo *turbare* valent, quibus ſolidè & tempeſtivè *avertendis* omnem curam & induſtriam adhibeat, adeoque *remotivè* magis, quam *poſitivè* ſuccurrat & ſub tali *offendiculorum* remotione *expectet*, quomodo natura, ſufficienti activitate inſtructa, ad *ſalutares* fines pertendat; interim neque ante talem principalem & ſpecialem effectum, ſanitati & vitalitati inſervientem, artifex *poſitivum* ſtimulum addit, neque ipſum illum actum *deſtinato* quodam conatu & *directo* auxilio proſequitur, ſed potius *expectat*, quid *natura* agit, dum ex certis & infallibilibus circumſtantiis colligit, quod omninò eadem tales *ſalutares* effectus tempore *congruo* præſtitura ſit: *deinde*

et-

etiam cura per expectationem exerceri potest, quando artifex non æque *nudam* naturæ *avtocratiam* expectat, eidemve *privativè* magis recte *dirigendæ* intentus atque attentus est, sed quando ex peculiaribus & certis indiciis colligit, quod natura humana in *arduis* quibusdam negotiis absolvendis *non sola* sibi sufficiat, sed quod *artis ministerio* atque *concursu* opus sit, interea vero *indoles* præsentis morbi indicet, quod certa *tempora*, ratione *decursus* sui annotanda & observanda veniant, quibus salutares effectus *promoveri* debent: ob id *hæc tempora* cum prudenti *moderamine* medicus *expectat*, neque *præmaturè* atque *impatienter* aut *præpostere* & *negligenter* quicquam committit, sed officia sua ita tractat, prout scopo suo conveniunt, ut *rationabilem* medendi methodum exerceat, quæ *expectando* & *operando* efficacem & officiosam sese exhibet: de *utraque expectationis therapevticæ specie* nobis hac vice differendum erit, quia utraque minimè *formaliter* discrepat, sed apprimè convenit: unde nobis cura per expectationem est ille *actus, quo artifex homini, vel proximius in morbos propendenti vel in morbis constituto, ita subvenit, ut naturam ex una parte nullis positivis auxiliis turbet, sed per remotionem accidentalium offendiculorum & ordinationem congrui regiminis ejusmodi spontaneam medelam sublevet & prosequatur aut congruis temporibus eandem allevet & ad salutares effectus ducat atque promoveat.*

§. III.

Quemadmodum hoc respectu cura per expectationem multis modis utilis esse potest, ita tamen interdum occurrunt ejusmodi casus in quibus hæc cura exercenda quidem est, licet *perfectam* utilitatem non semper impetret, quæ tantum propterea *curæ* nomine salutari meretur, quia non modo alia ratione vel *nihil* obtinetur vel res in *deteriorem* statum conjicitur: & cum hæc consideratio eò præcipue pertineat, quo *differentia* hujus curæ ab aliis

 vir-

virtutibus medico-practicis indicetur, ita præcipuè hoc ordine brevibus annotare placet, quo modo cura per *expectationem* à cura per *abstinentiam discrepet*, aut *conveniat*, aut sibi invicem *subserviat*; differt vero ab hac in eo, quoniam abstinentia medica *inter alia* officia versatur circa omissionem *incongruorum* remediorum, cum quibus vero ita directè & *essentialiter* aut prout proxima & *genuina* indoles involvit, cura per *expectationem* nullum commercium habet: attamen cum illa cura per *abstinentiam* in tantum etiam vicissim *convenit*, quoniam *interdum plane nulla positiva* auxilia & remedia *Pharmaceutica* adhibet, sed ab horum usu *abstinet*, quando natura in expugnandis morbis *sola* sibi sufficit & satisfacit, nec *positivo* artificis concursu indiget: unde etiam *Hippocratis notatu* digna observatio inclaruit, quam proponit in *Lib. de arte*: quod *multi ægri*, *etiam medico non utentes*, *sanitatem recuperaverint*: quod Lemma medicum *Illustris Stahlius dissertatione de Medicina sine medico* latius deduxit: proinde etiam hæc cura per abstinentiam in tantum obtestatur, quod varius morbus in *primis* suis invasionibus vix confestim *indolem* suam prodat, sed quasi *ambiguos*, *occultos* & *corruptos* ingressus servet, ubi plus *expectare* convenit, quo denique præsentis morbi constitutio atque *indoles* vergat & inclinet, cum vicissim citra abstinentiam per modum *experimentorum*, juxta vulgarem morem licitorum, varia & quidem *universalia* commendari & ordinari possent: proinde hæc cura per expectationem differentiam suam ab aliis curationibus obtestatur, quando diversi morbi in *primis* suis *initiis* quoad specialem suam *indolem* non statim innotescunt, ubi tam diu cum prudenti moderamine artifex *expectat*, sed subinde etiam ab usu remediorum abstinet, donec *evidentiora* signa quoad *decursum* & *successum* suum compareant: & licet quisquam hanc expectationem cum abstinentia commiscere posset, tamen expectatio illa hujus

absti-

abstinentiæ *fundamentum* evadit & hæc illi inservit: quid quod hæc cura per expectationem exercetur, quando interdum morbi ejusmodi extremè *perversi* atque *corrupti* occurrunt, in quorum cura ars *parum* efficere potest, quæ vero vicissim *naturæ* activitati & auxilio committenda est, ubi artifex iterum potius *spectatorem* & *expectatorem* agit, atque *privativè* magis, quam *positivè* operatur & *attendit*, quid & quantum valeat natura in sontico tali morbo expugnando: quo convenit illud *Celsi* monitum: *quod prudentis medici sit, eum, qui servari non potest, non attingere, ne eum, qui sorte sua interiturus erat, occidi existimetur:* unde cura per expectationem illam *artis* medicæ *conditionem* involvit, quando citra usum *positivorum* auxiliorum *confestim* oblatorum, aut offerendorum potius *naturæ vires*, *ordinem*, *tempora concursum* atque *scopum* attendit, licet antea quidem aliqua remedia adhiberi *possent*, tamen in hoc statu *aliquandiu* expectat, quo in negotiis suis *circumspecte* procedat neque *temerè* neque *timidè*, neque *præcipitanter* neque *negligenter*: ex quibus animadversionibus facile colligere possumus, in quantum hæc cura per *expectationem* cum cura per *abstinentiam conveniat* aut ab hac *discrepet*.

§. IV.

Quam exosa vero hæc cura per expectationem illis esse possit, qui *characterem* medici hujusque *officium* in *prompta* & *frequenti* auxiliorum *ordinatione* & *mutatione* quærunt & supponunt, tam utilis & multis modis comprobata est eadem, non in rara, sed *multiplici* applicatione medico-practica, quas palmarias *utilitates* propterea commendare, colligere, & significare lubet: Est enim hæc cura 1) admodum *simplex*, plana & *sincera*, ita ut nullis particularibus *opinionibus*, *suppositionibus* & artificiosis *experimentis* nitatur, quia potius ab illa *operosè* artificiali methodo penitus aliena est & *indubiis* minimeque fallacibus fundamentis insistit, nimirum *genuinâ* morborum *Historiâ* atque facto:

2)

2) deinde etiam *ordini, sensui, consensui* & *simplicitati* naturæ apprimè convenit, neque *alios motus* & effectus vel *alias vias* aut *alia tempora* seligit, quam quæ ipsa *natura* præcipit atque seligit; & sicut *legitimus* ordo *naturæ* optimus est, ita qui eundem attendit, observat, *imitatur* & promovet, *optimum* negotium committit, quod *vitæ* & *sanitati* subvenit: 3) proinde hæc cura ita *provida* & *continens* existit, quo morbos vel imminentes, vel præsentes minimè *obruat* atque *præcipitet*, sed eorundem legitimo *decursui* atque *temporariis* mutationibus, rite & dextrè tractandis, invigilet, & ita *opportunè* negotia sua tractet atque dirigat: 4) imprimis vero illud singulare & laude dignum commodum affert & continet, quod naturam minime *turbet*, confundat, opprimat, *cogat*, immodestè *stimulet* atque pervertat, sed *sublevet*, illius *vires* conservet, tueatur & protegat: 5) eo ipso vero hæc cura à detestandis illis *vitiis practicis* admodum aliena est, nimirum à *temeritate* & *negligentia*, sed omnia sua officia *continenter, prudenter* & *assiduè* exercet, dum solicitè singulas circumstantias perpendit atque comparat: 6) maxime vero hæc cura artificem reddit *attentum*, quo videlicet morborum *ortus*, *incrementa* & *complementa* rectè observet, adeoque obtingentes *mutationes* cautè advertat, de earundem *indole* rectè judicet, neque res suas *subreptitie* & *fugitivè*, sed sub optima *connexione* gerat: 7) porro *præservat* animum à nimia diffusione in *multitudinem* remediorum prona, siquidem, primo observat *an* æque *necesse* sit, quo *positiva* artificia & auxilia concilientur: deinde etiam præservat à *confusione* rationabilium *indicationum*, quæ proximè cum *indole* morbi conveniunt: 8) subinde vero hæc cura eximiam utilitatem confert *Historiæ* practicæ morborum sive experientiæ aut *observationi* medicæ, quam magis illustrat atque confirmat, dum ipso effectu comprobat, quod non *frustra* expectaverit, sed *vero fundamento* nixa sit: 9) neque etiam hæc cura illud abominabile

nabile damnum affert, quod morbos *corrumpat*, invertat, neque *præmaturè* cohibeat: & licet ſatis ſæpe *poſitivè* cura illa *utilis* exiſtat, tamen interdum etiam *privativè* ſalutaris eſt, dum expectando abſtinet ab *irritorum* remediorum uſu: quidquod rationi magis conforme eſt, quo ſucceſſus & *eventus* potius ſub *tranquillo* regimine expectetur, quam per incongrua tentamina pervertatur: **Wer nicht helffen kan, hüte ſich daß er nicht ſchade, und erwarte mehr den Erfolg, als daß er was ungereimtes vornehme, oder ſich übereile.** 10) deinde etiam hæc cura ex illa ratione ſalubritatem ſuam comprobat, quoniam cum laudabili ſolicitudine & vigilantia *ſalutarium excretionum* tempeſtivum, ſufficientem & convenientem *ſucceſſum* reſpicit & attendit, adeoque circa illud negotium præcipuè verſatur, quod *directè* vitæ & ſanitati proſpicit: 11) non minus etiam hæc cura ab omni illo *periculo* libera eſt, quod cum eâdem proximè cohærere poſſet: nam licet interdum patientes ſuccumbant & in illo morbo pereant, in quo hæc cura adhibita fuit, attamen hic funeſtus eventus ab illa cura minimè dependet, quæ ab omni periculoſa audacia & negligentia aliena exiſtit, in quam propterea culpa funeſti eventus conjici non poteſt: & denique 12) hæc cura, quia *rationalis* & prudens eſt, ab *empiricis* auſibus & tentaminibus valde abſtrahit & abſtinet: & ſi denique *poſt* adhibitam *expectationem* dignum & neceſſarium eſſe judicat, quo auxilia quædam adhibeantur, tunc nonniſi *certa*, fida, *ingenua* atque ſecura ſeligit & ordinat.

§. V.

Si in primas obſervationes hujus curæ per expectationem introſpicere placet, ſane minimè hoc inventum *recentioribus* temporibus adſcribere poſſumus, licet hæc veritas magis in *poſteritate* agnita & ad ulteriores utilitates applicata conſtet: unde potius confitemur, quod hæc cura *veteribus* medicis *arcana* & *ſincera* methodus medendi fuerit, in qua non modo juſta *tempora* morborum obſervanda &

servanda esse præceperunt, sed & solidè & solicitè annotarunt, an *natura* sibi soli satisfaciat, an *vias* peculiares selegerit, an ipsa agat τὰ δέοντα quæ *conveniunt*: siquidem imprimis *Hippocrates* cum suis sequacibus cum laudabili industria in *tempora* morborum rectè inquirenda & commendanda eximiam solertiam adhibuit, adeoque *rationalem* suam Medicinam ab *Empiricis* ausibus repurgavit, siquidem in Empiricorum praxi plurima confusè, *præmaturè* æque ac *præpostere* tractabantur, ne vero medicina in morbos tanta *temeritate* irruat, veteres medici probè morborum *tempora*, *initia*, *successus* & *decursus* annotarunt & juxta hos ordines methodum medendi adornarunt, sed eo ipso subinde congruè hæc tempora *expectarunt*, neque negotia sua *perversè* tractarunt: aliàs tota hæc solicita observatio parum utilitatis obtulisset, ni exinde *occasiones* & *opportunitates* aliquid committendi & omittendi magis innotescant & medici attendere debeant, *quando* & *ubi* aliquid operari conveniat: & hic labor veteribus medicis curæ cordique fuit, ubi frustraneum & impudicum conamen esset, veteres propterea invehere velle, quasi rem non melius intellexerint & quasi posteritas operosa sua curiositate, inventione & eximio apparatu longè melius morbis obviam ire calleat: cui gloriolæ minimè nos subscribere audemus, cum abundè constet, quantos morbos veneranda antiquitas *simplicissimis* consiliis & auxiliis feliciter & *efficaciter* ad stuporem neotericorum curaverit: ita ut animus *novitatibus* medicis indulgens in hac *ingenua simplicitate* veteres subrisione dignos æstimare interdum haud erubescat, sed tunc sanè omninò erubescere debeat, quando stupenda illa farrago tot *speciosorum* & *pretiosorum* auxiliorum id nunquam efficit, quod *simplicissima* veterum dexteritas præstitit: ad quos eximios & in posteritate notatu dignos effectus non parum contribuit prudens hæc *expectatio*, quæ veteribus valde usitata fuit, quorum ani-

mus

mus à *multitudine* rerum & remediorum liber, potius salutares *naturæ* operationes observavit atque expectavit; cum *impatiens* animus in posteritate non rarus, qui in *copiam* auxiliorum immersus est, quasi pro tormento habeat, si salutares effectus & eventus expectare debeat: inde innotuerunt illæ odiosæ formulæ: **man müsse sich heut zu Tage um eine Sache bemühen:** hinc *cunctandum* non est, *labore* opus est: nam per expectationem, juxta effœminatam, Theoriam negliguntur commodæ occasiones: juxta dicterium: **Hoffen und Harren 2c.** & ita *abusum* cum vero, solido & prudenti *usu* pessimè quidam confundunt: & quemadmodum veteres hanc curam per expectationem pro aureo subsidio adhibuerunt, ita tamen è recentioribus celebres quidam viri *vestigia veterum* secuti sunt: inter quos præcipuè *Baglivium* & *Sydenhamium* commendare placet, sicuti *Harveus* curam suam per expectationem orbi erudito obtulit: tota vero *Excellentissimi Stahlii* & Theoria & Methodus medendi in hoc negotio supplet, quod veteribus & reliquis, qui in hanc curam oculum & animum direxerunt, deficit.

§. VI.

Proximum est, ut nunc animo circumspiciamus *aptitudinem subjectorum* ægrotantium pro hac cura per *expectationem* exercenda & applicanda: sive quænam *subjecta habilia* reperiantur, ut in morbis eorundem hæc cura *applicari* queat, utpote quæ animadversio mox illud infert & denotat, quod non *indiscretim* quælibet subjecta hûc quadrent: unde 1) ad administrationem hujus curæ per expectationem illa subjecta idonea sunt, quæ non ratione *ætatis* valdè *effœta* & nimio *senio* confecta & oppressa, adeoque non valde *enervata* & in energia sua vitali admodum torpida & emarciata, sed vicissim *vegeta* activitate prædita sunt: 2) quæ non morbis indiscretim *corruptis*, *immorigeris*, *implicatis*, *complicatis* & *perturbatis*, sed

legitimis & *genuinis* laborant: nam corrupta morborum indoles liberum & facilem eorundem decursum admodum pervertit atq; impedit & tot suspecta symptomata intermiscet, quæ *tempestiva artificiali* medela indiget, in quibus non facile expectatio locum invenit & præcipuè illa quæ *absolutam* & *solam* naturæ *avtocratiam* in debellando tali morbo concernit: 3) & quando subjecta quædam olim morbis quibusdam laborarunt, providendum & inquirendum est, an in iisdem cum *sinistris* medicamentis & methodis tractata fuerint, an prægressus morbus vel *superficiariè* & *palliativè* curatus vel repentè *oppressus* fuerit, quale quid si contigit, reddit subjecta talia in proximis morbis ad hanc curam quadantenus inepta: 4) proinde patientes in *diversis Chronicis* morbis constituti ad illam præcipuè curam per expectationem exercendam inepti sunt, in qua *spontanea* morborum *expugnatio* sive avtocratia naturæ observatur & attenditur, cum in chronicis morbis varii *anomalici* motus occurrant, qui *tempestiva* correctione & *positivo* artis concursu indigent: 5) requiritur etiam de ejusmodi subjectis, ne antea in *perverso*, *pravo* & irregulari *vitæ genere*, ordinem moralium & vitalium functionum *turbaverint* & corruperint, utpote qualis *prægressa* irregularitas morborum futurorum successus *legitimos* admodum & evidenter *pervertit*, ut verum etiam in hoc passu sit dicterium, **wie man lebet so stirbt man**, confusa vita confusos morbos reddit, in quibus cura per expectationem non facile exerceri potest: 6) convenit etiam, ne subjecta *immoderatis* & frequentibus *patheticis* commotionibus inhæreant, aut *initia* morbi præsentis cum iisdem perturbaverint, utpote quæ *confusio* morbi *decursui* tanto impetu illata *tempestivam* emendationem requirit, neque aliquam *moram* facile admittit: 7) similiter sonticæ & *pravæ consvetudines* subjecta ita inepta reddunt, quo minus propterea in iisdem salutaris successus aut effectus directè expectari queat, sed ubi artifex *constanter ar-*

cere debet, ne consvetudines illæ diversas *anomalias* & varia damna causentur & immisceant: 8) neque huc quadrant subjecta valde *enervata*, aut quæ mox per *initia* morbus cum *nimio virium defectu* corripit & opprimit, quales sunt peracuti & *maligni* affectus, in quibus ob *expectationem* hanc, & præcipuè vero illam, quæ *avtocratiam* naturæ concernit, ob per momenta *increbescentem* virium jacturam mali potius successus metuendi essent: 9) non minus etiam convenit, quo subjecta non *nimium* usui medicamentorum *adsueta* sint, aliàs in actualibus morbis vix *sua spontè* & *legitimè* operatur natura individui, sed constantem hunc *artificiosum* monitorem sive *pædagogum* expectat: & denique 10) præstat, quo minus ejusmodi subjecta *diversorum* medicorum directionibus & *curationibus* antehac submissa & concredita fuerint, denn wenn einer rechts, der andere lincks curiret, so leidet die Natur des Menschen Noth, quæ natura in futuris morbis rectè tractandis admodum *evagatur*.

§. VII.

Præter hos *generales* respectus, qui in cura per expectationem observandi sunt, notari adhuc debent *generica* quædam *requisita*, quæ eo pertinent & quæ in tantum huic curæ opitulantur, quo eadem *prudenter* & *efficaciter* exerceatur: ob id 1) sciendum quod minimè *omnes* & *singuli* morbi in omnibus *individuis* pro objecto hujus curæ habeantur, etenim multiplices dantur morbi, in quibus artifex *spontaneam* illam Therapiam aut exquisita & *stata tempora* haud expectare, sed vel in *primis initiis* morbum aliquem coercere, vel causæ morbificæ in futurum nullam *moram* relinquere, quin potius citò & expeditè profligare debet: 2) perinde etiam convenit, ne artifex sub bona specie curæ per expectationem negotia sua *negligenter*, *securè*, *otiosè* & *incuriose* tractet; superius enim dictum fuit quod hæc cura non sit otiosa, sed omnes circumstantias bene ponderet,

 ob-

obſervet & conferat: quid quod 3) porro cavendum eſt ne quisquam nimis *præcipitanter* concludat, quaſi *omnis* medica& *poſitiva* artificioſa medela *non neceſſaria* ſit, ſi ſalutares effectus expectari debeant: inde ulterius colligunt, quaſi medicina planè *inutilis* ſit, præprimis cum videantur multi *ſine medico* curati: quod dubium ſolvit *Hippocrates* in *libro de arte*, & dicit *quod multi quidem ſanentur ſine medico ſed non ſine medicina*, ſiquidem etiam *regimen* congruum *medicinæ vices* ſupplet, aut medicinæ *nomine* ſalutari meretur: 4) intereſt etiam ne artifex viribus naturæ *promiſcue nimium* confidat & præmaturè concludat: ſi natura eſt morborum medicatrix, ergo *omnes morbos* in *omnibus ſubjectis* ſanare debet; cum ſi nihil aliud regerere placuerit, [cum propoſitum non ſit latius digredi] illud tamen notari debeat, quod interdum fragile corpus humanum tales morbi invadant, qui neque *à natura* neque *arte* curari poſſunt, evidenti teſtimonio *internarum* corruptionum; convenit propterea potius *vires* naturæ bene explorare, an *eò usque* ſufficiant & ſatisfaciant, quo morbificam cauſam exterminare & *ſuperare valeant* 5) neque etiam conſultum eſt, ibi expectare & moram nectere, ubi affectus eſt *præceps*, neque *moram* admittit, v. g poſt ingeſta *venena*, in affectibus *contagioſis*, præſente *ſphacelo*, imminente *ſuffocatione*, aut præſentibus *enormibus* Hæmorrhagiis &c. 6) multo minus cura per expectationem exerceri poteſt, ubi natura neque *energetico* neque *ſynergetico* actu quicquã valet, ſed ubi *abſoluta* arte opus eſt, v.g. in corruptione putrida, in luxationibus reſtituendis, in internis (ſi poſſibile eſſet) concrementis removendis &c. 7) non minus etiam cavendum eſt, ne hæc cura per expectationem *extendatur ultra* ſuam ſphæram videlicet ultra *legitimas* morborum *periodos* aut veram *opportunitatem* agendi, v. g. ſi quis in affectibus Cholericis *nimis diu* expectaverit ſpontaneas bilis dejectiones, quas poſt nimium & diuturnum defectum demum promovere cogitet, tunc *ſerius* & *præpoſte-*

ſterè officio ſuo defungitur & cum damno atque errore expectavit artifex, quia interea bilis perniciem ſuam intulit & interdum ob nimiam talem expectationem *hectica* acceſſit: 8) ſedulò porrò abſtinendum eſt, ne ſub hac cura, per expectationem adminiſtrata, *perverſa*, prava & indiſcreta *regimina* conferantur, qualis error totam noſtram *ſalutarem* intentionem diruit & deſtruit: 9) ſubinde etiam requiritur, ne hæc cura nimium *abbrevietur*, adeoque *fugitivè* & *inconſtanter* tractetur, aliâs vix hoc nomine digna cenſeri poteſt & interdum ex ejusmodi præcipitantia & inconſtantia *inopportunæ* plane actiones deſultant: 10) multum vero refert, quo ſub hac cura prudenter, attentè & aſſiduè obſerventur & conferantur *ſucceſſus* motuum & effectuum *vitalium* in tali morbo, ex quibus artifex eò magis de indole morbi & veritate actus naturæ *avtocratici* certioratur & confirmatur: 11) quin licet etiam nonnunquam ſub hac cura *viribus* naturæ ſuccurrere, ne hæ *delinquant*, ubi non æque neceſſe ſemper eſt cauſam *morbificam* aggredi & expellere: 12) & denique requiritur cum hæc cura ſub hac expectatione à poſitivis & directis interdum auxiliis abſtineat, quo tamen *privativa* methodus ſolicitè adhibeatur & talia ſedulo prohibeantur & omittantur, quæ præſentem morbi decurſum alterare & *turbare* poſſunt.

§. VIII.

Cum hactenus varias *generales* & ad præſentem tractationem neceſſarias conſiderationes præmiſerimus, nunc placet ad paulo *ſpecialiores* animadverſiones progredi & in diverſis *affectuum ſpeciminibus* atque exemplis commonſtrare, *ubi* & *quo ordine* cura per expectationem applicari poſſit. Inter cauſas vero *principaliores*, ad morbos provocandos, non modo efficaces, ſed & *frequentius* obvias, hoc loco *Plethoram* allegamus, quæ *mater* & *nutrix multiplicium* ægrotationum evadit & partim ad *ſanguineos* partim ad *ſeroſos* affectus contribuit: ſicut vero hæc Plethora non *in-*

diſcre-

discretim nociva existit, dum varia subjecta abundantem sanguinem *sine damno* satis diu gestant, ita præcipuè illæ *conditiones* observandæ & inquirendæ sunt, quæ ad *morbos* constituendos concurrunt: si itaque in diversis subjectis non modo plethora *præsens*, sed eadem subinde variis *commotionibus* & inturgefactionibus obnoxia est, propterea valde *molesta* existit, tunc *salutare* omninò esset opus, si proportionatæ, tempestivæ & moderatæ *Hæmorrhagiæ* obtingerent, utpote quæ sunt *simplicissimum* auxilium *naturæ*, per quod non modo præsentem plethoram *molestam* curat, sed & *imminentes* & ex hac *plethora* prodeuntes ægrotationes præoccupat: si hoc perpendit artifex, minimè tunc consultum erit *promiscuè* Hæmorrhagias impellere & urgere, sub illa *præcipitata* conclusione v. g. hic est *plethoricus*, Hæmorrhagiæ vero sunt *medicina plethoræ*, & quia hic non *spontaneas* Hæmorrhagias experitur, ergo ex officio medici fluit, quo ipsi ejusmodi Hæmorrhagiæ concilientur & concitentur: quo valet Germanorum dicterium was einen nicht brennet, soll man nicht löschen: siquidem non *omnis* plethora Hæmorrhagia opus habet: quare Plethora, licet *multorum* morborum causa fiat, non ita confestim & *præcipitanter* profliganda est, sed *expectatione* opus erit, donec videlicet eadem in *illum statum* devenit, in quo ad *morbos* causandos efficax deprehenditur: unde irritum esset tentamen, si quisquam mox ad Hæmorrhagias commovendas & conciliandas confugeret: v. g. si de *Hæmorrhoidibus* prædicatur, quod tot *utilitates* inferant, & alius mox quasi ex abrupto in *diversis individuis* Hæmorrhoides provocare & urgere vellet, in quibus neque *in genere* sanguinis abundantia *molesta* est, neque *seorsim* in abdomine *incommoda* & suspecta existit, *sterilis* hic esset conatus practicus: quod idem valet de *Mensibus*, quando in diuersis puellis non exquisitè decimo tertio aut decimo quarto ætatis anno erumpunt, neque ita exactè quinquagesimo anno

no desinunt, si quisquam eò *confestim* confugeret, quo mox per *emmenagoga* remedia menses impellerentur & per *adstringentia* cohiberentur: in hisce casibus convenit *expectare*, donec motus aut *molimina* ad hos fluxus *spectantia* oriuntur, quibus promovendis *tunc demum* operam dare debet artifex, neque *præmaturè* in has Hæmorrhagias operari, quoniam omnes *coactæ* commotiones variis *anomalicis* successibus obnoxiæ sunt: hinc *plethora* satis sæpe per *expectationem* curanda est.

§. IX.

Quod modo dictum fuit, de curatione plethoræ per spontaneas *Hæmorrhagias*, id ipsum etiam valet de *artificialibus* sanguinis subtractionibus, sicut enim non omnis plethora *morbida* est, nisi illa, quæ valde *commota* & *molesta* existit, neque propterea *omni* plethoræ imminuendæ natura *spontaneas* methodos & vires adhibet, ita *vanum* esset conamen, si quisquam *præmaturè* sub spe *præoccupandorum* morborum plethoram ventilare vellet, cum diversa subjecta non statim habeant, quo morbos *metuant*, licet plethorica sint, unde prudentis artificis est, quo denuo *illum statum* plethoræ expectet, qui aliqua medicatione *opus* habet: quodsi enim præmaturè quisquam *tranquillam* & *temperatam* plethoram aggrediatur, tunc demum *ansam* præbet, quo in *futurum* eadem variis immoderatis *commotionibus* subjiciatur: id certè illi experiuntur homines, qui interdum *præter* ullam *necessitatem*, vel ex mera *curiositate* vel ex nimio *metu mortis* VenæSectionibus sese submittunt & qui antea vegeti & *sani* fuerunt, imposterum variis *congestoriis*, *spasmodicis*, *inflammatoriis* aut *febrilibus* commotionibus obnoxii redduntur; idem contingit, quando post *commotiones* corporis & animi quidam sub intentione & pollicitatione *præoccupandarum* febrium acutarum *fugitivè* & cum impatientia *VenæSectionem* ordinant & injungunt, sed eo ipso

ultimum *ſtimulum* atque lapidem admovent, quo *intimior* commotio ſangvinis exoriatur atque ita *febris acuta* demũ irruat & exardeſcat; ſicuti in Hiſtoria practica ille effectus & eventus admodum cognitus eſt, quomodo per *inopportunas* VenæSectiones exquiſitæ & vehementes, imò periculoſæ *febres* commotæ & *provocatæ* fuerint: & ejusmodi inopportunæ ſangvinis miſſiones cum pernicioſis ſuis effectibus illis imprimis inſerviunt, qui *indifferenter* artificiales *ſangvinis* ſubtractiones contemnunt & condemnant & à *particulari* ad *univerſale* argumentantur: ex hac vero conſideratione illud inferimus, quod artifices minimè tam cæco pruritu in plethoræ curam ruere debeant, ſed *opportunitatem agendi* cum prudenti moderamine attendere & expectare, ante omnia vero accuratè annotare, an præſens plethora naturæ *adverſa*, aliena & *moleſta*, an per varias *inſolitas commotiones* ita excitata ſit, quo ad *morbos* inferendos *apta* evadat, an ipſa *natura* interdum *imminuendæ* plethoræ per *peculiares* commotiones *vires* applicaverit: in quo negotio neutiquam artifex *otioſè* expectat, ſed cum laudabili *ſolertia* id efficit, quod *officii* ſui eſt, nimirum quod naturæ *miniſtret* & illius motus atque conatus provide obſervet: quo loco vero adhuc alia expectatio commendanda erit, ne ex hac demonſtratione præcipitantia in *applicatione* & ultima ordinatione prodeat, videlicet ne tam facile atque promptè *curatoriæ* tales miſſiones ſangvinis ſuſcipiantur: ſed convenit, poſt illam cognitionem, quod huic vel alteri ſubjecto VenæSectio neceſſaria ſit, demum expectare *tempora* illa, quibus *pro ratione* afflictionis, per vices recurrentis, talis ventilatio ſangvinis commoda adhiberi poteſt, ne *præmaturè* tale auxilium applicetur.

§. X.

A Plethoræ conſideratione convertimus nos ad *Hæmorrhagiarum* perluſtrationem & commonſtrabimus, quomodo in illarum cura artifex non raro per *expectationem* cor-

corporis *ſalubritati* invigilare poſſit : loquimur vero de Hæmorrhagiis *ſponte* fluentibus & è *congruis* locis erumpentibus,quæ *juſto*, ſufficienti & *legitimo* ſuo ſucceſſu *utilitatem* ſuam abunde comprobant: quemadmodum vero Hæmorrhagiæ ſub ſalutari naturæ conamine *ſuperfluum* & *moleſtum* ſangvinem imminuunt,ita minimè *præmaturus* metus animum artificis occupare debet, quaſi talis Hæmorrhagia *excedat*, vel ſi ſibi relinquatur, *facilè* in exceſſum degenerare poſſit, unde *fugitivo* conatu & impatienti atque *præcipiti* tentamine ad illius *cohibitionem* manum applicant,cum tamen hic ſangvinis fluxus *aliquandiu* tolerari debuiſſet, ob id *præmaturæ* tales occluſiones & *perturbationes* valde & omnino *iniquæ* ſunt, quæ proinde in periculoſam *retentionem* & *ſuppresſionem* ejusdem Hæmorrhagiæ abeunt:unde neque conſultum eſt,tam ſubitò & *confeſtim* talem ſanguinis fluxum expaveſcere & juxta *effoeminatam* opinionem mox metuere & hariolari, quaſi cum ſangvine *vires* effundantur & conſumantur,cum tamen *vires* non ſint *in ſangvine* & *ipſe ſangvis* in ordine & relatione erga conſervationem ſui,viribus demum *indigeat*: ſed præſtat antea absque ullo præjudicio ponderare & prudenter examinare *ſtatum* ſubjectorum, an hiſce ob *plenitudinem* ſangvinis talis *Hæmorrhagia* conveniat,proinde an ob *activitatem* reliquam *animi* & *naturæ*, ob vigorem *juventutis* ob frequentem commotionem *patheticam*, ob diætam tenuem & *ſpirituoſam* &c. proficiat, quo ſanguis efficacius liberalius & *copioſius* eliminetur, ubi fruſtraneus erit metus, quaſi talis Hæmorrhagia *exceſſiva* ſit & actuale detrimentum afferat & inferat: unde conſultius egerit artifex, ſi cum moderamine & juſto *regimine* expectat, donec natura *ſua ſponte* à tali Hæmorrhagia remittat, eandemque denuò *retineat*: quodſi enim medicus contra *ſenſum* & *conſenſum* naturæ præmaturè ejusmodi actui *turbas* & *impedimenta* inferat, tunc eò *periculoſiores* exinde emergunt

 affe-

affectus & consecutiones: ad minimum *eo usque* prudens artifex expectare debet, donec talis Hæmorrhagia *actu* excedat: nam si *ante excessum* eandem cohibet, tunc *justum* ejusmodi *successum* offendit: illud enim constans est experientiæ medicæ testimonium & documentum, quod Hæmorrhagiæ frequentius in *defectu* quam in *excessu* laborent, unde antea artifex de eo certus esse debet, an æque eædem positivè & *verè* nunc excedant: & hæc cura per expectationem in negotio Hæmorrhagiarum illam salubritatem multis modis commendandam, involvit, quod *sensibilis* earundem decursus non offendatur, adeoque tot fontica pathemata evitentur, quæ ab earundem *perturbatione* æquiori & certiori metu expectanda essent: cujus rei testimonium perhibent imprimis *Hæmorrhoides*, *Menses* & *Lochiorum* fluxus, quò Hæmorrhagias post *abortum* referimus, quæ *præmaturè* oppressæ inter alia incommoda ad *futuros* abortus eò certius disponunt.

§. XI.

Hæmorrhagiarum consideratio ducit nos ad *moliminum hæmorrhagicorum* disquisitionem, in quibus perinde non rarò cum multo emolumento *cura per expectationem* exerceri potest, sermo nobis est de *ejusmodi* commotionibus *acerbioribus* & impetuosioribus ad Hæmorrhagias *tendentibus*, quales sunt *congestoriæ*, quæ ad ultimam sanguinis *eruptionem* collineant, sed quæ interdum ita *implicatæ*, *æquivocæ*, *sensibiles* & *immoderatæ* sunt, ut nullum *positivum* adjumentum *facilè* admittant, ni in *impetuosiores* commotiones *spasmodicas*, *inflammatorias* aut *febriles* transeant, unde minimè consultum est, quo artifex *priores* motus ita impellat atque urgeat, ut spem ludicram & credulam formet de *facilius* impetranda actuali *Hæmorrhagiæ* promotione: ex ejusmodi casibus & occasionibus producimus apparatus ad *Mensium* fluxus collimantes, qui *interdum* ita *immorigeri* sunt, ut si artifex cum emmenagogis suis reme-

mediis mox irruit & confugit, facile subinde vehementes *spasticos* aut *convulsivos* motus excitet, de qua re egit D. D. *Præses Disp. de mensium anomaliis convulsivis:* aut si in *senibus plethoricis* oriuntur molimina ad *Hæmorrhagiam narium* tendentia, tunc certe perperam egerit medicus, si hæc molimina cum *calidis* medicaminibus & regiminibus adjuvare contendit, ubi exempla prostant, quomodo interdum in tali passu per ejusmodi methodum, licet interdum sub *alia intentione*, *apoplectici* & *paralytici* affectus provocati fuerint: idem etiam valet, de inconsulta *Hæmorrhoidum* promotione, quando molimina quædam circa Venam Portæ progrediuntur, ubi per *vulgarem* usum *aloeticorum*, *helleborinorum*, *aromaticorum*, *spirituosorum*, interdum gravissimi *hypochondriaci* affectus, nonnunquam *infarctus* suspecti viscerum imprimis *Hepatis* & *Splenis*, aliquando atrocissimi *colici* cruciatus, quandoque plane internæ *inflammatoriæ* commotiones excitantur: sub hisce vero apparatibus, rectius artifex *expectare* & non ita *fugitivè*, directè & positivè in negotium illud ruere aut naturam valde commovere, sed sub *privativa* methodo continenter & prudenter *naturæ activitatem* observare, *incongrua* accidentia removere, bonum *regimen* ordinare, ad minimum illa *tempora* atque *occasiones*, in quibus à *nimio* suo impetu & *fervore* congestorio natura abstinuit & *tranquillior* atque *moderatior* reddita est, expectare & *tunc demum* ad *positivam* salutaris ejusmodi Hæmorrhagiæ promotionem concurrere debet, ne *præmatura* quadam *operositate* aut culposa *præcipitantia* prædictis *gravioribus* affectibus ansam præbeat: loquimur vero hoc loco de eo, quod artifex sub ejusmodi moliminibus *acerbioribus* Hæmorrhagicis non *directè* artificioso suo concursu naturam *impellere* & urgere, sed *aliam occasionem* expectare, interea vero eandem naturam *impetuosius* ad scopum hunc ruentem & tendentem *mitigare* & complacare debeat, ne in

molimine tali *excedat* & loco *ſalutaris* ſui finis atque exitus, varia incommoda & graviora mala inferat; & quod hoc loco de Narium Hæmorrhagia, Menſibus & Hæmorrhoidibus diximus, illud etiam valet de *Lochiorum* fluxu, quando *defectivè* ſuccedit, attamen per motus quosdam *ſpaſticos* urgetur: quid unquam in tali caſu & paſſu remedia *impellentia* indiſcretim adhibita præſtiterunt, experientia conſulenda erit: nos dicimus quod circa hunc finem & affectus ejusmodi conſpectum aliquandiu medicus *acquieſcere* & *expectare*, alias vero ſalutares intentiones interea exequi & ad futuram *tranquilliorem* Hæmorrhagiarum promotionem viam & aditum parare debeat: quod nunc de *moliminibus hæmorrhagicis* dictum ſufficiat.

§. XII.

Si ullus vero notatu *dignus* affectus occurrit, in quo cura per expectationem cum *eximio* emolumento applicari poteſt, tunc ſane Febris eſt, affectus non modo quoad invaſionem *frequens*, ſed & quoad indolem ſuam *celebris*, in quo non modo artifex congrua *tempora* & opportunas *occaſiones* expectare debet, ſed & ubi ſub uſu boni moderaminis & *regiminis* ſolam naturæ *medicationem* & opem citra *poſitivum* concurſum interdum expectare poteſt: in hac febre ſubinde non infrequenter hæc *expectatio* cum longe majori commodo & adjumento adhiberi poteſt, quam ſi *operoſa* & *officioſa* ars ſolicitè & frequenter remedia magnorum titulorum & encomiorum obtruſerit, ſiquidem ipſa experientia teſte *interdum* patientes ſub hujus curæ uſu & *citius* & *firmius* & *ſincerius* convaleſcunt, quando ſine ulla artificioſa *correctione* natura ſuis viribus ſufficienter inſtructa, *ſimplici* methodo ad ſalutares effectus atque ſcopos tendit: & ſicut ipſa Febris *actus naturæ* eſt *extraordinariæ* inventionis atque dignitatis, in quo *ſingularis* illius activitas & *prudentia* inclareſcit, ita in eadem *expectatio* cum ſingulari prudentia adhiberi poteſt & debet:

bet: nititur vero hæc partim ipſa illa *avtocratia* ejusdem naturæ per quam periculum imminens *ſua ſponte* ſuperat & avertit, partim illa *ordinata* & proportionata motuum febrilium adminiſtratione & *directione*, qua rationem *temporis* exacte ſervat, neque *confuſe* & perverſe operatur: ſunt vero illi *ordines*, quos natura in *febribus* ritè perficiendis applicat, dum antea *cauſam morbificam* bene & ſufficienter *præparat*, deinde legitimè *ſeparat* & ſecernit, & denique etiam *eliminat* atque excernit, quas ſingulas operationes ita perpetrat, ut nihil *præmtaurè* aut *præpoſtere* perficiat, ſed tempore *congruo* exerceat, adeoque ipſamet *expectet*, donec materia legitimè *præparata* & convenienter *ſecreta* eſt, quo peracto denique eadem *ultimam* evacuationem celebrat: qui ordo ſi ullo modo *offenditur*, non niſi *erroneos* ſucceſſus & eventus involvit; ſi itaque artifex ex *ſubjecti* febricitantis indole & reliqua vegeta conſtitutione, nec non ipſius *febris* legitima invaſione & temperata progreſſione colligit atque rationabiliter judicat, quod in tali febre ipſa natura *ſibi ſufficiat*, neque ullis *poſitivis* artificiis aut artificioſis manuductionibus & *provocationibus* indigeat, tunc & prudenter & convenienter ſuo officio fungitur, quando *ſpectatorem* & *expectatorem* medicus agit, & tantum ab *extra* removet atque *præoccupat*, quæ per *accidens* in tali ſalutari opere naturam offendere & *turbare* poſſunt: quodſi enim medicus *præter neceſſitatem* manus ſuas poſitivè & impatienter huic negotio immiſcuerit, tunc per *præmaturam* ſuam officioſitatem naturam potius impedit & ægre afficit, quam reficit & ſublevat: idquod ipſum quotidianis exemplis in *moralibus* occurrit, quam ægrè perferat natura tales obtruſiones cum ipſa ſatis capax ſit ad negotium quoddam perficiendum: in tali itaque paſſu recte agit artifex, quando ſalutarem naturæ operationem & congruum effectum expectat: deinde ſi medicus quidem percipit & agnoſcit, quod in febre quadam ritè deducenda

&

& absolvenda, naturæ *positivo* auxilio & adjumento subveniendum sit, tunc hoc suum officium atque *ministerium* minimè *præcociter* administrare, sed ipsa *illa tempora* & congruas occasiones *expectare* debet, secundum quas natura *hanc speciem* febris instruit; unde *temerarius* esset ausus, si *confestim* excretiones febriles urgeret & impelleret, neque prudenter & patienter sufficientem materiæ *præparationem* expectaret, aut si ante *sufficientem* excretionem *motum* febrilem obrueret, *opprimeret* & turbaret, quin potius interest, quo omnia juxta *ordinem*, febri competentem, perpetrentur, quo vero omnino prudenti & temperata *expectatione* opus est, uti mox pluribus indicabimus.

§. XIII.

Sed quo paulo clarius de hoc negotio differamus & mentem nostram explicemus, dictum fuit quod *febres* habeant suos *ordines* atque *proportionatos* successus, & quod in iisdem legitima materiæ febrilis *præparatio antecedat* & *sufficienter* etiam *succedat*, ut vel ex ipso *sanguine* adhærentes & *inhærentes* subtiles materiæ nocivæ abstergantur & *educantur*, vel ita *liberatæ* postea cum aliis humoribus confluentibus excrementitiis *involvantur* & in *mobilem* consistentiam redigantur, porro in *congrua* receptacula transferantur & eo *secernantur*, atque ita in copia quadam collectæ, denique *evacuentur*, utpote qui ordo atque actus *tamdiu* continuare debet, donec corpus à *peccante* causa *liberatum* & repurgatum est: cum vero prævia illa præparatio non nisi certis *motibus* impetretur, ita haud *inordinata* deprehenditur natura in *legitima* febrium administratione, ut *tunc* motus *excretorios* suscipiat, quando materia *præparanda* est, qualis *inversio* salutaris ordinis febrilis non nisi *perniciosa* esse potest: ad præparandam itaque materiam febrilem pertinet, quo sub *intensiori* sanguinis transpressione per partes solidas, *fibrosas*, successivè

vè *cohærentes* materiæ peccantes avellantur & *abradantur*, cujus *intensioris* commotionis *inseparabile* consectarium *calor* & *æstus* intensior & acerbior est: vel ad hanc *præparationem* requiritur, quo sub *auctiori* tali commotione è partibus *afflictis* resorbeatur & *abstergatur* vel sanguis *incarceratus* vel adhærens quædam *ulcerosa* materia, quod præcipuè valet de *hectica* & *inflammatoria* febre; cujus *auctioris* commotionis *consectarium* idem est, nimirum major æstus: vel præparatur etiam materia peccans, quando ab aliis partibus, imprimis vero ab *extremitate* corporis ad *interna* viscera, ubi materia febrilis *delitescit*, humores affunduntur, & eo volubiliores, mobiliores & *fluidiores* substantiæ vehuntur, quo illa materia febrilis *emolliatur*, adeoque è *carceribus* suis ducatur: cujus *restrictionis* à superficie corporis ad interiora consectarium est *frigus*: sicut & *præparatorio* & *secretorio* & *excretorio* effectui velificatur sufficiens *organorum* capacitas, amplitudo & *permeabilitas*, cui promovendæ eadem *repressio* sanguinis à *peripheria* ad *interna* viscera inservit: ex quo facilè colligere licet, quomodo hos *ordines* artifex apprimè attendere & dextrè imitari debeat: imò imprudens audacia esset, si quisquam vellet sub *vigore æstus* febrilis *evacuationes* urgere, *sudores* elicere, exstimulare, & ægrotantem cum *diaphoreticis* regiminibus & medicaminibus torquere: *expectandum* potius est, donec in actu *præparatorio* vel *sua sponte* natura ad sufficientem & salutarem effectum pertigit, vel eo etiam certis *adminiculis* promota fuit, quid quod expectandum est, quo *sufficiens* talis præparatio præcesserit, ne nimis *fugitivè* & *præmaturè* ad excretiones properet: unde etiam veteres dixerunt, quod *cocta movenda sint & non cruda:* & ita partim *ratio* sana, partim *indoles* ipsa febris indicat, quid de tali prudenti *expectatione* sperandum, & contra quid de temerario & *præmaturo* impulsu metuendum sit: idem etiam valet, quod in *acutis* febribus, quando *horripilatio* affligit

 nul-

nulla excretio *diaphoretica* concitari & in *intermittentibus* nulla *emetica* aut *catharctica* evacuatio ſub *horrore* & frigore provocari debeat: *expectandum* itaque eſt, donec vel ipſa natura poſt præviam præparationem materiæ *ſponte* ejusmodi evacuationem ſubordinet, vel per motus præcedentes materiam morbificam ad faciliorem & promptiorem evacuationem, *arte* provocandam, prædiſpoſuerit: utpote quæ cura per expectationem juxta hanc ſimpliciſſimam rationem & adminiſtrationem in experientia medica ſalubritatem ſuam promittit.

§. XIV.

Principalis utilitas curæ per expectationem inclareſcit in *Criſibus* febrilibus, quando videlicet materia peccans *certo* & *deſtinato* die, poſteaquam ſufficienter *cocta* ſive *præparata* fuit *ſimul & ſemel* ejicitur, adeoque *unico* hoc excretorio *ſolenni* & *ſingulari* actu corpus liberatur, in quo hi reſpectus eximiæ dignitatis obſervandi ſunt, quod natura in criſibus perficiendis utplurimum *ſufficienter* viribus inſtructa ſit, imò quod peculiari conſilio & exquiſita *extraordinaria* activitate criſes *inveniat*, ſuſcipiat atque dirigat, tanto magis verò quod tam exacta *periodo* eandem abſolvat & *certis diebus* apparatus ſuos atque *præparationes* adminiſtret, certo etiam die ultimum actum *excretorium* exequatur, adeoque motus ſuos ſub ſolicita & accurata directione proſequatur, neque *maturius* materiæ evacuandæ expulſionem proſequatur, donec eadem *ſufficienter* & quantum ad *ſimultaneum* actum excretorium pertinet illam *præparaverit*; interea eadem natura tamdiu *expectat*, usque dum *apparatus* hoſce condignè abſolvit & præmiſit: & quemadmodum ejusmodi criſes, ſi *legitimè* decurrunt, omninò *ſalutariter* exeunt & ſimultaneam opem afferunt, ita quidem conſultum eſſet, ſi natura humana ubique tam *expeditè* & *ordinatè* negotia ſua perduceret: interea vero viciſſim inconſultum & non niſi cæcus auſus eſſet, ſi artifex qua-

quavis vi & quocunq; *impulsu* ejusmodi crises prosequatur, vel eo naturam *cogat*, commoveat, & *necessitet*, quin potius prudenter & cum moderamine *expectare* debet, donec *ipsa natura* ad actum talem sese accingat, eundemque suscipiat: quodsi etiam contigerit, ut in febribus *apparatus* ad futuram *crisin* spectantes compareant, tunc perinde medicus cum prudentia & temperantia crisin *expectare* debet, minimè verò eandem *præcipitare* & *impetuosè* concitare, sed ita invigilare, quo *moderatè* & efficaciter eadem decurrat, quare *Hippocrates Sect. I. aph. 19.* dixit: *quæ judicantur & judicata sunt, neque movere oportet, neque innovare sive purgantibus, sive aliis irritamentis, sed sinere.* Alibi dicit: *quiescendum est*, quod certo respectu nihil aliud est, quam *expectatio:* repetit hoc senex *lib. de Humoribus* §. 3. *text.* 83. & dum æquivocus valde actus est, quo quidam crises *præoccupare* præcipiunt, adeoque *apparatus* illos *intercipere* jubent, ita officio medici magis consentaneum esse nobis videtur, quando etiam in tali statu *prudenter* expectat, ac *instantem* crisin minimè turbat aut *supprimit:* cum quo consilio multi ex veteribus, quibus negotium criseos rectè perspectum est, consentiunt & propterea in directorio actus critici multam prudentiam & dexteritatem ordinant & commendant: quo adhuc illud adjiciendum est, quod, cum juxta veterum dicterium *nihil paucum criticum sit*, propterea artifex solicitè evitare debeat, ne excretionem criticam, dum *succedit*, offendat, neve *largiorem* evacuationem abhorrescat, ne eandem *præmaturè* obruat & *supprimat*, sed in tantum *sufficientem* illius successum *placidè expectet*, & si necessitas *demum* requirit atque *urget*, eandem mitiget & *coërceat:* quo vero in hoc negotio magis *ordinatè* artifex procedat, fas est, quo antea non modo febris, sed & *criseos* febrilis veram *indolem* recte agnoscat & *tempora* discreta, quæ occurrunt, bene observet.

§. XV.

Hæc ſalutaris cura per expectationem ſubinde etiam ſeſe extendit ad *exanthematicas* febres, quarum excretio *puſtularis* vel *maculoſa*, licet non æque exquiſitè *critica* ſit, tamen *proportionatis* febrium *periodis* communibus exactè reſpondent, ita ut neque *præmaturè* neque *præpoſterè* contingere debeat: utut vero in talibus febribus abſolutè *ſalutare* eſt, quo exanthemata talia *effloreſcant*, tamen etiam pro *indole* talium febrium abſolute *congruum* & ſalutare eſt, quo eadem *juſto tempore* erumpant: etenim communiter periculoſum, ad minimum *ſuſpectum* indicium eſt, ſi illa *præmature* erumpunt, ubi contingit, ut facile *fugiant* & retrocedant, omiſſis aliis *ominoſis* ſucceſſibus & accidentalibus effectibus; unde convenit, quo eadem *ſtato* & *convenienti* die ab intra extrorſum transferantur: quæ ſingularis qualitas ſalutaris illius methodi eſt, quam natura in febribus talibus, recte deducendis, ſervat: quemadmodum vero ipſa, ſi officio ſuo ritè defungitur, hanc efflorescentiam non *præcipitat*, ſed ſub laudabili *moderamine* & *continentia* perficit, licet eandem *maturius* adminiſtrare poſſet, teſtimonio *variolarum*, *morbillorum*, *petechiarum* (ſicut *morbilli* præprimis anno præterito hic loci à ſua genuina indole degenerarunt & ſub multo anomalico ſucceſſu *præmaturè* effloruerunt) imò quemadmodum exanthemata talia *per artem maturius* expelli poſſent, ſed quemadmodum etiam *præmatura* talis expulſio, quam *natura* committit, periculoſa & *ominoſa* eſt, imò quemadmodum natura *legitimè* has febres exercens, *congrua* illa tempora ſervat & motus atque effectus febriles ſibi invicem condignè *ſubordinat*: ita minimè convenit per artificia *præmature* exanthemata expellere, aut ita incompletè & inconvenienter juxta morem imperitorum hominum judicare velle, quia materia peccans *maligna* eſt & valde pernicioſa, ergo eliminari imò *ſine mora* expelli debet, neque quicquam

re-

referre an hæc exterminatio *hodie* ſive *cras* contingat, *modo* evacuetur: imò quia maligna eſt & *præcipitis* efficaciæ, ita utile & neceſſarium eſſe, quo *repente* & ſine ulla *cunctatione* & *patientia* evacuetur: quale judicium *luctuoſus* effectus & eventus evidenter refellit: ob id maximè refert, quo in febribus hisce, recte tractandis, medicus curam per *expectationem* exerceat, & *tempora* aut *dies* attendat atque expectet, *quibus* proficuum eſt, quo exanthemata illa prodeant, haud verò *præmature* artificiis ſuis *impellentibus* & *expellentibus* ſubveniat, ſub illo *ſimulato* prætextu, quod naturam in eo *ſublevare* velit, ne difficilis ſit futura efflorescentia, qualis ſublevatio interdum in periculoſum *immaturum* & *præmaturum* impulſum deſinit: quodſi vero contigerit, ut propius circa *congrua* tempora apparatus ad proximam *excretionem* neceſſarii *deficiant*, tunc naturam commodius ad talem evacuationem *poſitive* ducere licet, quæ ceſſante hac circumſtantia per ejusmodi *præmatura* auxilia magis *turbatur*, quam ſublevatur: ita ad *communem* tantum experientiam provocamus, quo attendantur & dijudicentur, illa conamina vulgaria practica, quæ per ſemina affatim nota, *variolarum* faciliori *expulſioni* velificari debent, an *tantum* unquam votis & promiſſis ſatisfecerint, *quantum* vulgò deprædicata conſtant: imò ulterius in præſenti animadverſione dicimus, quod ſub bono *regimine* & uſu hujus curæ per *expectationem* exanthemata talia *longe melius* tranquillius & ordinatius effloreſcant, imò firmius, & *conſtantius* in *peripheria* corporis maneant, quam ſi optima & maximè ſpecioſa remedia *expellentia*, antidotalia, cor præſervantia, *bezoardica* & ſimilia operosè & ſtudiosè adhibita fuerint: eximium hujus rei teſtimonium nobis præbent *variolæ*, in quibus quid & quantum prudens *expectatio* valeat *Sydenhamius* & multoties etiam *Excellentiſſimus Stahlius* monuerunt: quodſi etiam exanthemata præmaturè *retroceſſerint*, tunc in eodem caſu *perſæpe* cura per *ex-*

pectationem prudentem plus proficuit, quam officiosa & solicita *expulsio*, quæ non raro *sinistrè* successit & consultius esset simul à communibus tentaminibus abstinere, quibus egregia virtus passim adscribitur, id quod inter alia valet de *vesicatoriorum* applicatione, quorum usum non admodum probatum non modo attenta *experientia* sed & ex eadem *Gerhardus Columba in Tract. de febribus pestilentialibus* inter alios attestatur, unde *interdum* sub *tranquillo* regimine in ejusmodi necessitate expectatio *plus* valet, neque *ita* nocet, uti *impetuosa* aut *anxia* commotio.

§. XVI.

Et ita perlustravimus quod & quomodo cura per expectationem in Febrium negotio non raro cum eximia salubritate exerceatur, cui considerationi adhuc hanc adjicimus, quod interdum eadem cura in diversis arduis febrium *symptomatibus* locum inveniat, quando hæc *positivo* quodam auxilio averti non possunt: hujus indolis inter alia periculosa symptomata sunt *inflammationes internæ*, quæ ab *immediata* adminiculorum applicatione præclusæ sunt, quales sunt *phreniticæ*, *cynanchicæ hepaticæ* aut internæ erysipelaceæ aliæ commotiones, quippe quæ febrem præsentem valde *periculosam* reddunt, ut propterea maxima prudentia opus sit, ne ullo modo *sinistræ* commotiones aut pravi *impulsus* excitentur, ex quibus tanto certius funestus eventus metuendus erit: sed quibus vicissim *directe* dissipandis & *discutiendis* nulla opera adhiberi potest, unde talis afflictio *naturæ* committenda erit, quæ ne in tam arduo negotio *turbetur* & impediatur, *in tantum* sublevari debet, ne ab *ullo accidenti* offendatur: ob id sub *bono regimine* & moderamine *expectandum* est, quid & quantum in tali necessitate natura illa commiserit: hæc expectatio vero nititur *impotentia* illa *positivi* & *directi* concursus ad inflammationem talem internam, *arte* resolvendam: ejusmodi conditionis sunt affectus *soporosi*, qui symptomaticè

fe-

febribus ſeſe conjungunt, in quibus *interdum* prudens & moderata expectatio adminiſtranda eſt, quando videlicet ſub febrium decurſu tales affectus ex *ſtaſi* quadam *in cerebro* facta, aut *varicoſo* infarctu, aut particulari humorum *ſeceſſione* intra cerebrum, aut actuali *ſuppuratione* ortum ſuum capeſſunt, quando in artificis *poteſtate* non eſt, quo ejusmodi afflictionibus *poſitivè* ſubveniat: ubi iterum nonnunquam magis expectandum eſt, quid *Deus* & *Natura* in ejusmodi ſtatu efficiant; ſed ne hæc penitus deſeratur, à diverſis *irritis* tentaminibus partim *abſtinendum* eſt, ne ab eorum uſu eadem *turbetur* & ſupprimatur, partim per *privativam* medicationem & uſum boni regiminis in tantum ſubvenire licet, ne alia *accidentia* in afflictum talem ſtatum irruant eundemque magis exacerbent; & quid dicamus de frequentibus *alvi retentionibus* & firmis occluſionibus, quæ mox cum *prima* febris invaſione inchoant, ubi interdum nondum ſufficienter conſtat, an febris *benignam* an *malignam* indolem contineat, an *exanthematica* an *alia* ſit futura, adeoque *temerarius* auſus eſſet, ſi mox ad alvum *commovendam* medicus manus applicaret, unde *in tantum* expectare convenit, *donec* indoles febris magis conſtet, ut judicare liceat, an *conſultum* ſit à tali provocatione *abſtinere*, an vero febris permittat, quo hæc excretio *liberetur*: idem etiam valet, quando in diverſis febribus maximè vero *malignis* & exanthematicis *ſpontaneæ* quædam *diarrhœæ* oriuntur, quas minime ita fugitivè & impatienter aggredi convenit, ſed expectandum erit, donec *certius* illuceſcat, quod ejusmodi alvi fluxus *poſitivam* noxam minentur: nam *præmaturæ* alvi incraſſationes aut poſitivæ *adſtrictiones* communiter luctuoſum eventum involvunt: & quid de *deliriis* ſentiamus, quæ ſeſe ut grave ſymptoma variis febribus conjungunt: illud breviter dicimus quod in eorundem emendationem raro *poſitive* influere liceat, quin potius ſub reliqua congrua tractatione conſultum erit, eorundem

dem

dem *eventum*, magis *expectare*, siquidem in praxi medica abunde cognitum est, quid *vulgares* methodi deliriis symptomaticis oppositæ, conferant.

§. XVII.

Neque tantum in hactenus recensitis affectibus cum salubritate cura per expectationem administrari potest, sed dantur etiam adhuc multiplices casus, in quibus minimè *positivè* & *directè* succurrere potest artifex, sed ubi potius *expectare* & *attendere*, imò observare debet, quomodo præsenti afflictioni *natura* medeatur, inter alios tales casus producimus hoc ordine *internas inflammationes*, quibus *directe* tractandis *via* præclusa est, ita ut remedia *resolventia* & *discutientia* minimè tam facile & citò, nedum ita *simpliciter* ad affectum locum transferri queunt, & quicquid in earundem cura *ars* valet, illud plurimum *remotivè* operatur, hinc *naturæ* relinquendum est totum hoc principale negotium, quo ipsa imminentem corruptionem arceat & congrua atque legitima methodo inflammationem absolvat, ob id *expectandus* est talium internarum inflammationum eventus, cum in artis *potestate* non sit, quo *affectus* locus ullo *immediato* auxilio sublevari possit: idem etiam porrò valet de internis aliis simplicibus *stasibus* atque diversis *infarctibus profundius* & *intimius* in visceribus hærentibus, quales sæpius medicamenta magis *offendunt* & exacerbant, quam dissolvunt atque liberant: quod præcipue dici potest de quibusdam *scirrhis* in *hepate* & *pulmonibus* hærentibus, qui per *communia* aperitiva & resolventia *interdum* in *actualem* corruptionem conjiciuntur, ubi nonnunquam magis salubre est, non modo à talibus auxiliis *abstinere* sed & cum modestia & *privativa* curatione *expectare* quomodo benigna natura huic *intricato* malo consulat, quæ propterea non per ludicras tractationes & *incongruas* commotiones turbanda & enervanda, quo minus posthac huic calamitati dextrè medeatur: & quid quæso

ars

ars medica valet in curandis *internis ulceribus* & *ſuppurationibus*, quousque ſeſe extendunt vulgaria mundificantia & travmatica? nonne in talibus afflictionibus medicus *expectare* debet, quid natura agat in negotio & puncto *conſolidandi* ulceris, quo præſente nonnunquam bonum regimen plus proficit quam *operoſa* artificialis medicatio: neque medicus in omni ſuppuratione *interna* naturæ *vias* monſtrare poteſt, per quas pus genitum *conſtanter* & *perfectè* eliminet; quin potius prudenter ipſe *expectet*, quando & quomodo natura illud denique effundat, teſtimonio ſuppurationum *in cerebro*, quæ pus nonnunquam *ex auribus* interdum *è naribus* emiſiſſe leguntur, ſed quis ita firmiter & indubiè in tali negotio naturam *imitari* poterit? ni in ſimili paſſu cura per expectationem exercenda ſit: cujusmodi neceſſitas occurrit in *peripnevmonia*, quæ in *maturationem* tranſit; quis quæſo *directe* ſine ulla ſuſpicione pus *evacuare* poterit? quis internos *abſceſſus* purulentos hactenus *occluſos* aperire poteſt? ni expectatione opus ſit: & ſanè in tali calamitate ſæpe evileſcit *officioſa* & operoſa *artificis* induſtria & contentio, quin interdum plane *accidentales* caſus ſalutarem eventum poſt ſe trahant, qualis allegatur ab *Excellentiſſimo Bohnio de officio Medici duplici cap.* *2. pag. 25.* ex *Bernier Eſſais de Medicina Part. II. cap. 15.* de mula, quæ ægrotantem vomica pectoris laborantem in tantum curavit, quo vomica rupta ſit, quam medicus aperire non potuit: quales caſus interdum medicum adeo neceſſitant, quo patienter & prudenter expectet, quid in tali calamitate natura humana præſtitura ſit.

§. XVIII.

Et quid artifex agat, quando diverſa *abſurda* ſubjecta deglutita fuere, ſive ſint ſubtilia *acuminata*, ſive alia *ſolida*, ubi quidem interdum talia adminicula commendantur, quæ vel impetrandis & involvendis vel reſolvendis illis quadrare poſſent: ſed quoties non à puellis & puerulis aci-

culæ & nummi deglutiuntur, ubi haud ejusmodi auxilia ſubordinantur, ſed ubi *ſua ſponte* atque ſola natura ſubjecta illa denuò *egerit*, ita ut tantum expectatione opus ſit, præprimis cum artifex *evitare* non poſſit, ne *transverſim ſolida* talia è tenuibus inteſtinis per anguſtius *cæci inteſtini* foramen, in *craſſa* inteſtina tendat adeoque *obſtructionem* aliquam inferat; in quali paſſu interdum ſola expectatio commendanda eſt: æquale judicium ferre poſſumus de illo caſu, quando nonnunquam *calculi perverſo* quodam ſitu è *pelvi ureterem* ingrediuntur adeoque *obſtructionem* quandam cauſantur, quis quæſo tunc *ſitum* mutare & per remedia emendare poteſt? exulant hic meritò impellentia & *diuretica*, quæ eò magis hunc perverſum ſitum & obſtructionem *obfirmant* atque dolores augent & exacerbant: neque ſemper emollientia & *lenientia* remedia anxiis deſideriis ſatisfacient, ut omninò interdum *patientia* & *expectatione* opus ſit: quousque quæſo ſeſe medica *poteſtas* extendit in curando *polypo cordis*, in reſolvenda *concretione pulmonum* cum *pleura*, in *tophis pulmonum &c.* quid aliter artifex quam expectare poteſt, quid *natura* in removendis talibus eximiis impedimentis denique committat: niſi *privativè* proſpiciat, ne interdum ex ejusmodi ſtatu damna quædam connexa emergant; & licet hæc expectatio non *poſitivam* opem ejusmodi affectibus conferat, id tamen omninò proficit, ne interea *alia tentamina* eosdem affectus *acerbiores* reddant & variis periculoſis *complicationibus* anſam præbeant; quid porro poteſt ars efficere, in *geneſi calculi*, quando jam prima *initia* adſunt; poteſtne *evitare* quo calculus generari *deſinat?* & quanquam eadem *aliquid* in hoc negotio valeat, illud tamen reſpectu *reliqui* ſtatus exiguum & *inſufficiens* eſt, ſed *ſucceſſiva* renum & veſicæ *abſterſione* nimiam aut nimis acceleratam geneſin illam tantiſper *præoccupat*; ſed quid de reliquo agere & præſtare poteſt eadem ars medica? nonne expectare debet, donec ipſa natura

tura

tura reliquos calculos, qui geniti sunt ad *excretionem* commoveat? nonne audacia esset, *præmaturo* impetu calculos *impellere* & provocare velle, utpote quales *artificiales* calculi commotiones, utplurimum longè aliter cedunt & succedunt, quam promissa atque vota inferunt: & quodsi contigerit, ut in aliis partibus *tophi* generentur, sive in *pulmonibus* sive *hepate* sive *cystide*, & si possibile esset, quo medicus eorundem *præsentiam* exactè sciret & de illa *certus* esset, nonne illi *naturæ* relinquendi erunt, quid ipsa cum iisdem denique committat, nonne propterea artifex expectare debet, cum ipse eosdem exquisitè gubernare non possit & vulgata *lithontryptica* remedia magis in *opinione* quam in *facto* juvent & ita ut plurimum spem decollent: unde etiam in tali casu *consultius* est expectare, quam *irrita* & vana tentare, siquidem interdum in parallelis casibus *diutius* afflicti vitam protraherent, ni per *incongrua* tentamina sub multa impatientia & defectu expectationis, maturius ad extrema fata promoverentur.

§. XIX.

Inter alios affectus, qui multam attentionem merentur disquisitioni nostræ sese commendant *vitia motuum* sive in *excessivo* sive *defectivo* successu consistant, in quibus perinde *nonnunquam* cura per expectationem applicari potest; etenim si contingat, ut motus quidam *congestorii* sub qualibet adhibita opitulatione ab indole sua & repetita *recursione* non *discedant*, tunc non æque *continua* remediorum oblatio proficua est, quæ non modo *genericam* naturæ activitatem turbat, sed & reliquum *ordinem* vitalem admodum afficit & offendit, ut ob *multitudinem* ingestorum medicamentorum diversi *confusi* affectus & effectus superveniant & *eò citius* lethalis eventus excipiat, cujus causam non malè quidam in multitudine Therapiæ quærunt, dum dicunt: **man hat sich mit vielen Artzeneyen verderbet, daß es auf die Letzt nicht mehr helffen wollen.** Consultius

tius itaque est in tali statu *expectare* & *abstinere*, quoniam interdum *sibi relicta* natura ita se recolligit & sibi moderatur quo in pristinum ordinem redeat & sub bono regimine & congruâ diætâ pristinum sanitatis ordinem revocet: aliquando *itinera* suscepta & *mutationes* loci sub ejusmodi prudenti expectatione *Chronicum* talem morbum emendant, in quibus contra dicterium illud valet: je mehr sie brauchen, je mehr sie klagen: sie sind durch das viele Brauchen mehr verderbet als gebessert: aliquando etiam sub tali moderata & *congrua expectatione* transeunt illæ periodi aut *illa tempora*, quibus ejusmodi affectus maxime affligunt, ut posthac ob *mutationem ætatis* ipsa talis afflictio quantisper *immutetur* & deinde *faciliorem* complacationem assumat: sed dum hæc proponimus, aures nostras feriunt vulgares illæ oblocutiones, quomodo interea patienti succurratur, ne priorem affectum patiatur: etenim in hac expectatione non multum solatii superesse: es sey dem patienten damit nicht geholffen, daß er so lange warten solle. Hic desiderat *plenariam* liberationem & quidem *maturam* & nihil cunctatam! ast hæ querelæ sunt testimonium impatientiæ, cum sane melius consultum sit, si patiens *futuram* sanitatem expectat, quam si *præsentem* ægrotationem per ulteriorem diversorum remediorum usum ita *depravat*, ut vel maturè *moriendum* sit vel aliquandiu sine spe *miserrime* vivendum: sane populus rectum videt, dum interdum perspicit, quod *multus* remediorum usus magis *noceat*, quam proficiat, hinc dicit: was soll man lange brauchen, es hilfft doch nichts, wenn er wird ausgesiecht haben, wird es wohl wieder besser werden: *expectandum* itaque est, quia *officiosus* medicamentorum usus *interdum* magis nocet: & hæc brevibus quidem dicta sunt de motibus congestoriis: quid vero dicendum erit de motibus *insolentioribus spasmodicis?* adeone necesse erit ad *omnia* remediorum genera *confugere* & tot medicamentis & methodis torquere

quere & nihil proficere! ſed modo in eo tantum hæc operoſitas & officioſitas medica acquieſcat! ſane verum eſt, quod *Seneca* elocutus eſt *Epiſt. 95. Homo ſacra res jam per luſum & jocum occiditur*; & quid ejusmodi temerarii *ſaltus* ab uno ad alterum, imò ab uno *extremo* ad alterum aliud promittant, quam luctuoſum eventum: hinc illæ lacrymæ **hätte ich doch nichts gebraucht**! ob id prudentes *Philoſophi* in arduis doloribus commendant *patientiam* & *medici* commendant *expectationem*, quæ certè longè majorem utilitatem habet, quam laborioſa & *anxia* illa medicamentorum ordinatio: & ſicut plebejum eſt dicterium **viel hilfft viel:** ita invertimus hoc & dicimus, quod ſæpe in talibus caſibus verum evadat: **viel ſchadet viel**! unde conſultius eſt *modeſte* expectare: quid denique fiat in chronicis *convulſionibus*, ubi ob *inopiam* efficacium adminiculorum *neceſſitate* coactus artifex expectare debet, dum interdum etiam verum evadit & obſervatur noſtrum aſſertum, ſi *maturius* expectatio adhibita fuiſſet, morbus ejusmodi vix in talem *gradum* aut *contumaciam* degeneraverit, in quam *acerbitatem* delapſus nunc eſt ob *omiſſionem* ſalutaris hujus *expectationis*; & docet propterea attenta obſervatio quid & quantum viciſſim in morbis convulſivis illa *præceps* atque *impatiens* remediorum ingeſtio utilitatis obtulerit, ubi *à contrario* utilitatem congruæ & moderatæ expectationis demonſtrare placuit, quæ ſeſe non tam ad *totalem* remediorum neglectum, quam ad *congrua* etiam *tempora* & *opportunitates* extendit, quibus medicationes congruæ ſuſcipiendæ ſunt, utpote quæ *altera* curæ per expectationem exercendæ *conditio* eſt.

§. XX.

Quod modo breviter de exceſſivis motuum vitiis dictum fuit, illud in ordine paucis etiam de *defectibus motuum* dicendum erit, videlicet, quod *interdum* in iisdem *occaſio* occurrat, ubi cura per *expectationem* applicari poteſt: & licet

licet in variis ejusmodi casibus *occasio præceps* sit & plurimi practici in eo consentiant, quod in ejusmodi affectibus *nihil cunctandum*, sed periculum in mora sit, propereaque necessitas postulet, quo tempestivè & assiduè selecta & probata auxilia adhibeantur, tamen nonnunquam etiam ejusmodi casus obtingunt, in quibus *de præsenti* parum amplius operari licet, adeoque expectatione opus est, qua *tempus opportunum* attenditur & observatur, ubi pro levamine ejusmodi morbi, denuò aliquid *positivè* operari licet: hujus asserti veritas inclarescet in *specialioribus* observationibus & applicationibus: si interdum contingit, ut ex *Mensium* vel *Hæmorrhoidum* repentinis suppressionibus certi *gradus* & quidem mitiores *defectivorum* vitiorum, quoad motus *vitales* occurrant, vel *paralytici* vel *paretici* vel *lipothymici*, tunc in cura talium ad primam causam atque *fundamentum* hujus afflictionis retrospicere convenit, siquidem ejusmodi affectus non melius neque rationabilibus & certius curantur, nisi Menses aut Hæmorrhoides *revocentur*, cum vero non ita *indiscretim* Menses & Hæmorrhoides reparari & restitui queant, ita in cura illorum affectuum quoad hanc fundamentalem causam *tamdiu* expectandum est, donec *opportunum* illud tempus revertatur, in quo Mensium & Hæmorrhoidum revocatio *promovenda* erit: etenim *menstrui* recursus servant sua *congrua* tempora & Hæmorrhoidum fluxus non rarò per *exactas periodos* decurrit, unde frivolum esset tentamen adeo *promiscuè* in Mensium & Hæmorrhoidum restitutionem irruere velle, qualis *confusus* impulsus non modo *salutarem* illum recursum harum Hæmorrhagiarum *turbabit* atque offendet, sed & *reliquum statum* morbi magis *confirmabit* & augebit: ob id in *simplici* Hæmorrhagiarum promotione & *restitutione* tam *difficulter* negotium succedit, quia *opportunitas* agendi non *expectatur*: & quamvis aliquando in ejusmodi affectibus *varia* tententur, tamen singulæ tales

me-

medicationes parum *fidæ* & *ingenuæ* esse deprehenduntur, quia ad *fundamentum* negotii non pertingunt: occurrunt hujus schematis alia specimina & quidem quando evenit, ut certa subjecta ob *consuetorum sudorum anniversariorum*, quos hactenus cum *salubritate* eximia experta fuere, *suppressionem*, futuris frequentibus *lipothymiis* obnoxia redduntur aut torporem & aliqualem *insensibilitatem* in membro quodam percipiunt, tunc neque nervina, roborantia, spirituosa & tonica neque *indiscretim* usurpata diaphoretica *satis exquisite* & firmiter conveniunt, nisi *justis temporibus* salutares sudores denuò promoveantur, ubi iterum prudenti *expectatione* opus est: possent hujus rei casus notatu digni commemorari, si tempus & propositum nostrum concederet: idem accidit, quando e *diarrhœa spontanea annua salutari* subitò & præmaturè *oppressa*, vera intestinorum *atonia* & conjuncta contumax *flatulentia* oritur, in qua licet carminativa magnorum titulorum & magnarum promissionum sedulo adhibeantur, eadem tamen vix tantum proficient, quantum *annuis* illis temporibus promota & *revocata* talis *spontanea* diarrhœa efficiet: in quo passu denuò congrua *expectatio* utilis & necessaria est, donec *opportuno* tempore artifex ejusmodi consilia & auxilia suppeditare potest, quæ *proximè* atque *directè* ad affectum talem levandum atque *è fundamento* curandum spectant & contribuunt: quid quod in maximè refractariis talibus motuum vitalium defectibus confert interdum ejusmodi causas *intervenientes* expectare, de quibus *Illustris Stahlius in Pathologia medica pag. 913.* dicit: *quæ magis directè ipsas movendi intentiones respiciunt, & in qualibet artificiali ope usurpatæ paralysin interdum aboliunt, ubi exquisitos & intensissimos animi motus, admodum activæ intentionis* nominat, & ad observationem *Valleriolæ & A. N. C.* provocat, ubi exempla allegantur *Paralyticorum terrore*

ve-

vehementi & ingenti *iracundia* liberatorum & restitutorum.

§. XXI.

Et cum mentio facta fuerit quarundam *Hæmorrhagiarum salutarium* in quarum *revocatione* & *promotione* non rarò cura per *expectationem* adhiberi debeat, ita placet in hanc observationem paulo curatius introspicere, præprimis cum commoda occasio nos ad utilem hanc animadversionem ducat atque invitet: sermo nobis præcipue est de *Mensibus* & *Hæmorrhoidibus*, utpotè quæ Hæmorrhagiæ magis *defectivis*, quam *excessivis* vitiis obnoxiæ sunt: interea millenis exemplis admodum comprobatum est, quod *legitimus* harum Hæmorrhagiarum *successus* eximiam & evidentem *salubritatem* inferat, *imminutio* verò aut plenaria *suppressio* earundem *perniciosa* existat, ita in genere ex officio medici fluit, quo talem fluxum sanguinis omni prudenti consilio & necessario auxilio *sublevare* adeoque solicitè evitare & *præoccupare* debeat, ne *turbæ* quædam in eundem incidant; proinde verò de hisce Hæmorrhagiis notatu digna illa circumstantia pensitanda & bene conferanda est, quod videlicet eædem *justis*, *statis* & *exquisitis* temporibus atque *periodis* revertantur id quod de *menstruo* fluxu indubium est; neque quoad *hæmorrhoidalem* fluxum plane inauditum est, quod & ipse *menstruis* periodis redierit, imò non insolitum est, quod certis temporibus *anni* revertatur: quodsi ita contigerit, ut talis Hæmorrhagia insolitum *defectum* patiatur & vel imminuatur vel supprimatur, tunc quidem *generica* indicatio est, quo *tempestivè* promoveatur aut *revocetur*: Ast in hoc necessario & laudabili actu minime negotia *præmaturè* sub prætextu tempestivæ operationis gerenda sunt, licet quidem consultum nullo modo sit, quo ejusmodi Hæmorrhagia in *diuturna* suppressione relinquatur: interea vero

præstat *rationem* & justam proportionem æstimare & dijudicare juxta *prægressum* successum earundem Hæmorrhagiarum: si itaque Menses per *dimidium annum* suppressi fuere, nimis *diuturnum* esset, *non æque* in Hæmorrhoidibus, quando hæ antea *per menstruas* periodos decurrere non sueverunt: exinde concludimus, quod in *positiva* revocatione & promotione vel Mensium vel Hæmorrhoidum prudenti *expectatione* opus & vicissim cavendum sit, ne mox *immodice* & impatienter tales Hæmorrhagias *impellamus* atq; urgeamus, sed quo *illa tempora* expectemus, seligamus & observemus, quibus fluxus illi sanguinei reverti & progredi *deberent*; hanc circumstantiam si benè observamus, paulo *facilior* erit methodus, quæ deinde in cura talium *deficientium* Hæmorrhagiarum adhibetur: etenim illi *vani impulsus* promiscuè suscepti, *indoli* harum Hæmorrhagiarum penitus contrariantur & potius totum statum magis perturbant atque variis aliis gravibus pathematibus concurrentibus ansam præbent, quid quod longè *difficilius* ad *salutarem* effectum pertingunt, et si denique talem Hæmorrhagiam *impetuose* expellunt & extrudunt, facile totus *decursus* attestabitur, quam *iniqua* hæc fuerit promotio, quia *immatura* & *inopportuna* extitit: quod si vero *illa tempora* revertantur, quæ olim naturæ *usitata* fuere, tunc antiqui actus *memor* natura aut non rarò motibus quibusdam eminus ad eundem *contendens* facilius obtemperat auxiliis *hac occasione* oblatis & *tranquillius* in pristinum ordinem duci potest; & licet hæc *expectatio*, quam hoc loco commendamus non ita *absoluta* sit, quo circa *spontaneum* earundem Hæmorrhagiarum reditum occupetur, siquidem *rarius* suppressæ tales Hæmorrhagiæ *sua spontè* debitè & convenienter erumpunt, tamen involvit *tempora* quædam, quibus ad *directam* & positivam illarum promotionem & restitutionem non facile quicquam operari integrum est & respicit potius tempora quæ *attendenda* & recursu suo ad hunc usum provide & prudenter applicanda

da

da sunt: id quod de Hæmorrhagiarum promotione notare & commendare placuit.

§. XXII.

Tantò magis verò cura per expectationem exercenda erit, in morbis *intricatis* & *obscuris*, quando posthac in demortuis internæ quædam *concretiones* & excrescentiæ carnosæ, fungosæ, polyposæ vel in corde vel in pulmonibus vel in diversis abdominis visceribus observantur, aut ubi *ulcera* in ventriculo, intestinis & vesica urinaria conspiciuntur, vel si viscera talia actuali quodam ulcere *perforata* sunt, vel aliæ adhuc diversæ causæ ad *obscuros* morbos constituendos influunt & concurrunt: in talibus afflictionibus, quæ tamen *rariores* existunt, communiter *expectatio* non modo *tantum* valet, ac *operosa* medicatio, sed & *interdum plus* valet & *magis* conducit, quam *solicitus* medicamentorum usus: etenim *internæ* concretiones & excrescentiæ *nulla* medica arte dissolvi & removeri possunt, unde *naturæ* relinquendæ sunt, siquidem communiter nulla *indubia* & specialia signa occurrunt, quæ ejusmodi statum significant, ut propterea *nolens volens* medicus in tali passu *abstinere* & *expectare* debeat; illud verò tamen notandum est, ne in ejusmodi & similibus abstrusis morbis quisquam sibi qualemcunque *causam fingat* & eo impetuose & impatienter nitatur, utpote qualis ausus præsentem talem affectum longe certius atque citius *deteriorabit*; hinc moderata expectatio ad minimum ejusmodi morbum *præoccupat* atque defendit, ne *citius* in graviorem & *periculosiorem* statum incidat: quod enim *Hippocrates in Libro de Locis in homine* §. 46. dicit: *morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat, non forte: si itaque levior inde fiat demonstrata via est, quod gracilitatem inducendo curandus sit: si vero non levior reddatur, sed pejus habeat, contraria facienda sunt:* In eo nobis videtur, venerabilis *Senex* aliquid humani pati & cum *empiricis* colludere, nam morbum *non cognoscere* & medica-

camentum tamen ſive leve ſive forte exhibere, cæci tentaminis indicium eſt: & qui juxta *Celſum* in caſibus dubiis, obſcuris & ſimilibus *anceps* medicamentum adhibere præcipiunt, videntur nobis non ſatis *accurate rationali* medicinæ ſatisfacere; ſed mox objectio illa in mentem incidit, ergone patiens ita *deſerendus*, ergone concedendum eſt, quo morbus magis *obfirmetur*? aſt regerimus an in ejusmodi affectibus arduis & *intricatis* medicus *certus* eſſe poſſit, quo per dubiam & *æquivocam* ſuam medicationem *minus* noceat, ſi non prodeſt? an *certus* ſit, quo affectum talem per *ancipitem* ejusmodi methodum *minus* exacerbet & minus obfirmet? & cum in tali ſtatu non pauca neque etiam levia dubia vexata occurrant, ita conſultius eſſe reputamus, quo medicus magis prudenter & ſub *negativa* Therapia patienter *expectet*, donec affectus ejusmodi hactenus *abſtruſus* indolem ſuam magis prodat atque *manifeſtet*: etenim cum a medico temeritas, tanto magis cæca & quaſi *irrationalis* aliena eſſe debeat, ita in ejusmodi arduis & ſecretis morbis per *experimenta occidere*, conſcientiam *Chriſtiani* medici valde ſauciat, qui dum per *expectationem* moderatam *non peccat*, per temerarios vero *auſus* & cæca tentamina graviter *aberrat* atque peccat, ita & ſcientiæ magis conforme eſt, quo prudens expectatio præ tali minus ſecura & inconſtanti temeritate adhibeatur, qui enim in fortuna ſpem & fiduciam ſuam collocant, decipiuntur: unde recte *Hippocrates Libro de decenti ornatu* eloquitur: *admiranda exiſtimo artis inventa, quod ſcilicet prudenter & recte inventa ſint, minimeque à fortuna pendeant*, & propterea *Chilo* [apud *Läertium* in illius vita] interrogatus quid fortuna ſit, reſpondit: *ignarus medicus! multos enim excæcat.*

§. XXIII. Progredimur nunc ad perluſtrationem quorundam affectuum *Chronicorum*, quorum ſedes atque radix *intimior* & profundior exiſtit, quo remedia *inſufficienter* penetrant; adeoque cauſa morbi *parum* attingitur, ſi partes *glanduloſæ* videlicet intimius *obſtructæ*, aut ſi *induratæ* vel perfecte *exulceratæ* ſunt, ubi in defectu *poſitivi* auxilii ex artis *poteſtate*

pen-

pendentis, patienter & continenter expectare convenit, in quantum vel *natura* humana ejusmodi damno ſubveniat, vel ad ejusdem reparationem *initia* faciat & *vias* monſtret, ut *poſtea* artifex commode *ſuccurrere* queat, quem *terminum* artifex *interdum* expectare, attendere & obſervare debet : nam ſi *maturius* & operoſius ejusmodi affectibus oppugnat, *nonnunquam* eosdem magis *exaſperat*, quam minuit: huc ſpectant *intimiores ſcirrhi* profundius hærentes , in quibus nonnunquam *privativa* medendi methodus & cura per expectationem utilitatem ſuam atteſtatur : interdum etiam accidit, ut ſubjecta quædam peſſima maximeque contumaci *cacochymia* laborent, quæ nullis medicamentis *hactenus* expugnari potuit, in qua *emendanda* & curanda *aliquando* expectatio plus valet, quam operoſa *remediorum* ingeſtio, quæ dum in viis & humoribus perſiſtunt, ſi *ſalinæ* & *ſulphureæ* aut *reſinoſæ orgaſticæ* indolis fuerunt, tunc humores magis *depravare* adjuvant: quando vero ſub bono *regimine* & congrua *diæta* artifex expectat, donec *ſucceſſiva* quædam ſalutari *excretione* natura huic afflictioni opem tulit, tunc denuo remedia quædam ordinari poſſunt, quæ hunc naturæ actum *adjuvant* & facilitant: uti nobis exempla talia conſtant ſubjectorum eximie cacochymicorum, quibus illud conſilium dedimus, ut ab *ulteriori* medicamentorum uſu, qui ipſis hactenus frequens, copioſus, imo nimius fuit, *abſtineant*, & ſub *regimine* congruo, maximè vero ſub *mobili* vitæ genere, aut ſub adhibita *aëris* mutatione & temperie *expectent*, qualis inde eveniet corporis ſui *mutatio* : unde accidit, ut poſtmodum longe *facilius* ad *meliorem* conditionem tranſierint : in hanc claſſem ducimus *ſcandaloſos* illos affectus, qui ſub artis *poteſtate* non ſunt, quo curentur vel meliorentur, quod nimirum *eſſentialem* eorundem conditionem attinet: uti ſunt *Phthiſis*, *Hydrops* &c. quippe qui affectus, verè & *perfectè* tales, *percurari* non poſſunt, ni rariſſima exempla in obſervationibus legantur, ubi *natura* & non artifex inconſuetam & admirandam opem in ejusmodi caſibus obtulit: quid vero in iisdem *frequens* remediorum

inge-

ingeſtio, quid *multitudo* aſſidua medicamentorum & *experimentorum* unquam commodi obtulerit? loquatur & teſtetur *experientia* medica! quid contra prudens & moderata *expectatio* emolumenti & ſpei in iisdem ſuppeditaverit, æque uſus atteſtari poteſt; & licet per expectationem illi morbi *non penitus* percurati fuerint, tamen hæc expectatio, in *comparatione* ad prægreſſam operoſam & multam medicationem, *plus* ſæpe utilitatis obtulit: & quid non de *confirmatis* ſpaſmodicis affectibus dicamus: ubi quæſo reperiuntur *pollicitationes* tam ſtupendæ & miraculoſæ *impletæ*? quis curat confirmatam *podagram* & *vagam arthritidem*? quid proſunt remedia, imprimis vero illa ſpecioſa experimenta & non experta *ſpecifica*? nonne multi denique ad hæc conſilia confugiunt, *patiendo, abſtinendo, expectando*; de quo antea egimus.

§.XXIV. Non parum utilitatis ſæpe confert cura per expectationem in *abortu* imminente & *fœtu mortuo* præſente: non loquimur de *præoccupatione* abortus, ſed quando jam *primi* apparatus ad *futurum* abortum adſunt, ubi quæſtio practica moveri poteſt, an abortum imminentem *promovere* & *accelerare* expediat? quanquam vero remedia *directe* & *proxime* abortum promoventia *non* dentur, quæſtio tamen eo ſeſe extendit, an *conſultum* & *ſalutare* ſit, *talia* medicamina in hoc caſu ordinare, quæ *vulgo* fœtui *expellendo* dicata & deſtinata ſunt, an vero magis conſultum & *ſecurum* ſit, *expectare*, quid *natura* in hoc negotio committat? etenim ſtatus controverſiæ nonnunquam in tali caſu occurrit, ubi ad præoccupandum *imminentem* abortum artifex fermè omnem *penum* auxiliorum cum *fruſtraneo* effectu adhibuit & abortus propterea quaſi *inevitabilis* videtur, an *proficuum* ſit per communia *impellentia* & commoventia remedia abortum *accelerare*, ſub ſpe & promiſſione citioris *liberationis*. In *tali* caſu dicimus, quod medicus potius curam per *expectationem* exercere debeat, ni *talia* ipſi ſuppetant & conſtent auxilia, quibus *certius* & *ſecurius* abactionem talem ſublevare queat; interea hoc loco de *vulgatis* & trivialibus me-

diis loquimur: etenim si non expectaverit, hæc potiora *præjudicia* intercurrunt, quod primo post præmissum usum *adstringentium* & fœtum retinentium nunc talia *commoventia* medicamina adhibeantur, quæ *contrariis* atque *confusis* motuum succesfibus ansam præbent, unde non nisi *periculosi* & suspecti effectus & eventus metuendi erunt: deinde quod hæc subordinata *promotio* & *commotio* non sine eximia *violentia* & immodestia succedat, adeoque non modo violentum abortum causetur, sed & in *futurum* ad similes *impetuosos* abortus disponat: porro quod sub ejusmodi *immoderatis* promotionibus non raro *immodicæ* & periculosæ *Hæmorrhagiæ* excitentur, quæ sub *communi* Hæmorrhagias tractandi methodo *pessimas* consecutiones inferunt & perinde in futurum ad *habituales* abortus contribuunt: nec non quod communis talis *vehemens* promotio varias futuras commotiones *spasmodicas*, *hystericas*, *strangulatorias*, *cardialgicas* & similes invitet: hinc æquo & placido arbitrio atque judicio relinquimus, an non consultius sit, non modo ab *ejusmodi methodo* solicitè abstinere, sed & propterea sub bono regimine & *virium* conservatione atque sublevatione *expectare*, quid denique in tali negotio efficiat *natura*; ni *urgentes* aliæ circumstantiæ alia consilia invenienda & conferenda injungant & commendent: idem etiam sentimus de *ancipiti* illo negotio promovendi & exturbandi *fœtus mortui*, in quo cum communiter etiam *impetuosæ* & vehementes methodi ordinentur, ita etiam communiter varii *suspecti* effectus coincidunt, quibus præoccupandis sane non parum interdum confert expectatio, quæ licet non *promiscue* applicanda sit, tamen in *certis casibus* & *temporibus* utilitatem suam promittit, imprimis quando in diversis subjectis valde *plethoricis* admodumque *sensibilibus* fortiores quædam commotiones non facile excitandæ, sed ab iisdem *suspecta* symptomata metuenda sunt, ut propterea *securior* via seligi & sub roboris sustentatione atque sublevatione *spontanea* naturæ activitas in *excutiendo* fœtu mortuo *expectari* debeat.

§. XXV.

§. XXV. Quando in corpore vivo humano paulo *profundius* hærent infixæ *festucæ, globuli plumbei, frusta telorum, cuspides ensium, cultrorum* &c. tunc *interdum* impossibile est, quo *secure* & *prompte* educi queant, unde aliquando *occasio* fert & variantes circumstantiæ jubent, quo ejusmodi subjecta *intacta* relinquantur, præprimis si *nulla* necessitas cogit; unde *expectandum* est, donec natura *apparatus* instituat, qui ad insolitorum talium subjectorum *exclusionem* tendunt, quibus denique adjuvandis & *sublevandis* artifex operam adhibere & conjungere debet: alias *præmatura* interdum industria & officiositas non modo subjectum illud, sive *causam* continentem non attingit, sed & irritam & vanam methodum applicat, ex qua non nisi sinistri effectus metuendi erunt; quis *cultrivoros* ita *solus* curare & liberare potuisset, ni *natura viam* ad hanc curam præmonstraverit, quam methodum artifex *expectando* observavit & didicit, & si *emetica* aut *cathartica* adhibuerit, quis de *salubritate* harum evacuationum *vadem* se dare potuit? idem etiam valet de deglutitis *acubus, clavis, cuspidibus umbilicum* egressis: & quid dicamus de *internis* quibusdam abscessibus, quorum *exitum* natura ad *externa* direxit, i. e. quibus nonnunquam talis *apertura* inducta fuit, ut imposterum artifex per *hunc aditum* ad *interiora* penetrare potuerit, qualis accessus cum *à natura* expectari debuerit, ita eventus monstravit, quæ commoda ab *expectatione* tali artifex impetraverit: & quid non proficiat hæc expectatio in *scirrhis internis sanguineis*, in *vomica pulmonum*, in *carcinomatibus*, in *cancro occulto*, utpote quales affectus interdum ex *levissima* aggressione & tractatione temperata *offenduntur*, ut consultius sit *abstinere* & *expectare*, quæ auxilia, si non *positive* juvant, tamen illud emolumentum afferunt, quo affectum à *deterioratione* arceant & præoccupent; quæ *exacerbatio* ipsis per qualemcunque solicitam medelam induci potest & solet: & quid cum *internorum* organorum *læsionibus* per vulnerationem commissis suscipiendum erit? etenim decoctorum *vulnerariorum* usus & effectus non raro *æquivocus* est, unde in illa fiduciam & spem collocare velle, interdum *frustraneus* labor erit: nos dicimus quod in ejusmodi casibus *nonnunquam* simpliciter *expectandum* sit, donec benigna & *alacris* natura talem læsionem *reparaverit* & consolidaverit, cum ad illum *reparationis* actum *directe* concurrere haud possit manus & dexteritas *artificis*: imo cum in artis *potestate* non sit, *per se* & ex sua efficacia læsionem talem *resarcire* & *connectere*, dum ne levissimum vulnusculum vel optimus & præstantissimus balsamus combinare & restituere possit, ita quid aliud potest, aut quid aliud agere debet, quam *expectare*, & id quidem longe consultius, quam læsionem talem *obruere* & urgere, siquidem demum artifex naturæ *activitatem* expectare debet, donec illa ejusmodi læsionem curaverit & consolidaverit, unde innotuit illa *diversitas*, quod in subjectis *adultis*, enervatis, effœtis aut multis morbis defatigatis *ægrius* vulnera coalescant, quod in quibusdam subjectis talis restitutio & coalitio *citius* & promptius in aliis *difficilius* & tardius succedat, quemadmodum jam in vulgus nota est illa observatio **von einer heilsamen und unheilsamen Haut.**

§. XXVI. Paucis adhuc mentionem injiciemus *Symptomatum* in multis morbis

bis occurrentium, interdum etiam *arduorum* & fonticorum de quibus non raro *soliciti* conspiciuntur artifices, ut nonnunquam hisce *leniendis* & mitigandis *maiorem* operam dent, quam ut *radicem* mali aggrediantur atque extirpent; hujus negotii testem producimus vel solam *Febrem*, in qua *æstus*, *capitis* dolor, *inquietudo*, *vigiliæ*, *virium prostratio*, *appetitus dejectio*, *sitis* &c. quam anxios teneant interdum medicos, experientia medica abunde attestatur, ut de aliis morbis hoc loco nihil dicamus, & licet ejusmodi symptomata in diversis affectibus magis *in sensus* incidant, tamen non consultum esse arbitramur, quo ita *confestim* eorundem cura suscipiatur atque urgeatur, quin potius utile & salutare esse judicamus, quo circa symptomatum tractationem hæc nostra cura per *expectationem* adhibeatur, & animus magis ad *radicem* mali dirigatur, qua *destructa*, reliqua connexa symptomata sua *sponte* cadunt, sed si hæc *superficiariè* deliniuntur & demulcentur, tunc vel *non ita diu* hæc mitigatio durat, vel *remanente* radice alia *sontica* symptomata emergunt, vel eò magis ipsa radix *confirmatur*, & subinde reliquus morbi genius valde *depravatur*: unde & *rationi* consonum & in *experientia* comprobatum esse indicamus, quod *tuto* & *ingenuè* symptomatum tractatio sæpe per expectationem succedat: eximium exemplar hujus præsentis considerationis obvenit in *epilepsia symptomatica*, in cujus cura si artifex cum multa *operositate* præcipitanter & assiduè quælibet *secreta* auxilia *antepileptica* ordinaverit, nihil sane efficiet, quin interdum eò magis convulsio *augmentetur*: quodsi vero in cura motuum epilepticorum expectaverit & *causam* veram removerit, tunc utplurimum sua *sponte* convulsio illa cessabit: unde interdum tam frustraneus labor est, quando artifices tam *scrupulosè* cum symptomatibus congrediuntur, & quasi optime patienti consultum sit, autumant, quando æstus aut frigus aut dolor &c. *deest*, licet *prima causa* nihil emendata & imminuta adhuc *adsit*: quid quod non raro etiam *reliquo* morbo gravis *turba* infertur, quando adeo *impatienter* symptomata profligantur, & sane in praxi medica satis cognitum est, quomodo morbi exinde magis *augeantur*, quam secure & ingenuè *mitigentur*: ubi denuò inter alia exempla ad *febres* & *motus convulsivos* provocamus, qui posteriores si à *vermibus* vel *Mensium* obstructionibus pendent remediis probatissimis & maximi nominis anticonvulsivis *minime* obtemperant, sed *talia* auxilia expectant, quæ vermes *expellunt* & Menses *restituunt*: plura non placet hac vice addere, licet præsens hæc tractatio per multiplices ulteriores & notatu admodum dignas demonstrationes duci queat: interea hactenus *Speciminis* instar commonstravimus, quantæ *dignitatis* & *utilitatis* sit hæc tractatio, quam proinde ad ulteriorem usum *medico-practicum* commendamus, ita tamen ut cum *prudentia*, prout passim monuimus, neque ita *indiscretim*, hæc *expectatio* exerceatur: in qua nostra commendatione itaque nunc acquiescimus & Deo Optimo Maximo humillimas grates persolvimus, quod almo suo auxilio in deducenda hac consideratione adesse voluerit: illum etiam devotè precamur, quo præsentem deductionem gratia sua secundet, & ita dirigat, ut partim in praxi medica multam utilitatem ferat, partim reliquam scientiam & experientiam medicam magis magisque augeat, illustret atque confirmet, cujus perpetuo honori omnia nostra conamina consecramus.

(o)